opera Chriſti nulla tali promiſsione indiguerint, ut in ſe eſſent condigna eo præmio, ac etiam maiore, ea tamen indiguerunt, ut Deum obligarent ad nobis tale præmium conferendum. Ad 2. dico neque illud illatum ullum continere abſurdum, ſi benè intelligatur, quatenus, ſcilicet, Chriſtus non tantùm nobis meruit gratiam adoptionis, quæ facit adoptatos ſic dignos vita æterna, ut ſi morerentur in tali ſtatu, perducerentur in vitam ęternam, tanquam ad hæreditatem ipſis neceſſariò, vel connaturaliter debitam, ſed ultrà hoc etiam meruit, quod ſic adoptarentur, & redderentur amici, qui eam haberent, ut Deus vellet iis promittere eandem vitam æternam per modum præmii, & mercedis, eorum opera acceptando tanquam condigna talis præmii. Ad 3. negatur conſequentia, gratia enim ſanctis Patribus data fuit ob merita Chriſti prævíſa, & à Deo cum omnibus ſuis circumſtantiis acceptata; Et ſicut ſine dubio potuit Deus habere tale decretum, & promiſsionem, antequam Chriſtus naſceretur, itâ etiam potuit prævidiſſe, non ſolùm dignitatem operum Chriſti, ſed etiam pactum. Ad 4. negatur rurſus ſequela, ad probationem conſtat ex dictis *n.* 136. in ſolutione quinti argumenti; nam juxtà primam ſolutionem ibi datam, quod peccatum ſine pacto mereatur pœnam, opera verò Chriſti non habeant rationem completam meriti ſine pacto reſpectu noſtræ redemptionis, non provenit ex eo, quod peccatum ſit validius, ſed ex natura, & differentia meriti reſpectu pœnæ ex una parte, & reſpectu mercedis ex alia, ut ibi declaratum eſt, iuxtà verò aliam ſolutionem datam *n.* 137. dicendum eſt peccatum non itâ ex natura ſua exigere pęnam illam, ut Deus non poſsit non punire, ſi vellet, quarè dicebamus ibi peccatum proximè, & complete pęnam non mereri, niſi poſita Dei lege ſtatuentis talem pœnam infliggere pro tali peccato; ſicut è contrà neque merita Chriſti itâ exigunt redemptionem noſtram, quin Deus poſſit non redimere non obſtantibus Chriſti meritis; abſolutè tamen meritum Chriſti dicendum eſt validius, & efficacius ad liberandum, quàm peccatum ad condemnandum quia meritum Chriſti, efficax eſt ad liberationem multorum ratione eximiæ dignitatis, & valoris, eſtò dependenter à promiſſione divina, à pœnis debitis peccatis eorum actualibus; nullius autem peccatum actuale eſt itâ efficax ad mortem multorum, ſed tantum unius; quod ſi peccatum originale efficax fuit ad ruinam multorum, hoc planè non habuit, niſi dependenter à pacto cum Adamo inito à Deo.

144 Ad quintum, nullam vim habet argumentum in noſtris principiis, juxtà quæ gratis concedimus opera Chriſti meritoria non fuiſſe de toto rigore iuſtitiæ, ut inferius patebit, cùm inter Chriſtum, & Deum propria, & rigoroſa iuſtitia non intercedat; adhuc tamen meritum Chriſti in hoc ſenſu poteſt dici de rigore iuſtitiæ, quamvis dependeat ab ea promiſſione, quia nulla merita poſſunt habere maiorem iuſtitię rigorem, quàm Chriſti merita, quandoquidem quæcunque alia merita à tali dependeant, ut Poncius advertit. Sed neque etiam concludit argumentum in principiis Adverſariorum, non enim merita Chriſti dicuntur de rigore iuſtitiæ, quia ex ſe ſint condigna, & nullam requirant promiſſionem; quia etiam iuſtorum opera dicerentur de rigore iuſtitiæ reſpectu gloriæ, eo quod ex ſe ſunt condigna, & nullam requirunt promiſſionem, quod tamen Vaſquez cum ſuis ſectatoribus negat; ſed dicuntur de rigore iuſtitiæ merita Chriſti, quia ſaltem ratione perſonæ, à qua procedebant, non fundabantur in gratia præmiantis, cùm nulla gratia facta ſit perſonæ, ſed tantùm naturæ humanæ Chriſti merentis; at merita iuſtorum fundantur in gratia habituali perſonæ merenti gratis collata; quod totum placuit advertere cum Amico ad invaliditatem argumenti oſtendendam ex hoc capite deſumpti. Ad ultimum negatur etiam ſequela, quia pactum non requiritur ad augendum valorem, vel dignitatem meriti, ſed tantùm ad inducendam obligationem in præmiante, & conferendum ius merenti ad præmium exigendum; Quoniam igitur valor, & dignitas operum Chriſti ex circumſtantia perſonæ aliquo modo erat infinitus, ut inferius patebit, hac de cauſa meritum Chriſti dicitur infinitum quantum ad ſufficientiam; neque id impedit, quod præmium, vel merces in effectu finita fuerit, quia non dicitur infinitum ratione præmii conſecuti, ſed ratione valoris ex circumſtantia perſonæ deſumpti, ut latius *diſp. ſeq.*

145 Poſtremò arguunt Thomiſtæ admittentes quidem nobiſcum ad meritum condignum completè ſumptum requiri debitum in retribuente, ſed dicentes hoc ſufficienter induci per ſolam eſſentialem gratiæ ordinationem, atque ideò aliam acceptationem, vel promiſſionem ſuperadditam immediatè ſuper actum cadentem eſſe ſuperfluam, cùm quicquid per hanc fieri dicatur, totum ſalvari poſſit per habitualem ordinationem in ipſa gratia eſſentialiter incluſam; Hoc autem probant, quia gratia habitualis per ſe ſine ulla alia Dei acceptatione, aut promiſſione reddit nos filios Dei adoptivos, & hæredes vitæ æternæ; ergò pariter opera bona à iuſto facta reddunt eum dignum vita æterna in ratione mercedis, & præmii; probatur conſequentia, quia filio benè operanti ſtricto iure debetur hæreditas, non tantùm ſub titulo hæreditatis, ſed etiam ſub titulo mercedis, & præmii intuitu bonorum operum. Conf. quia gratia non eſt, niſi acceptatio ad gloriam iuxtà illud Jo. 4. *aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons vitæ ſalientis in vitam æternam*; ergo ſi homo per gratiam eſt acceptus Deo, ſuperflua eſt alia acceptatio actus ſuperaddita, quia repugnat perſonam eſſe Deo acceptam, & non actum. Denique filio debetur hæreditas, ſi benè ſe geſſerit, etiamſi nulla alia conventio inter Patrem, & filium intercedat; ſed nos per gratiam Filii Dei ſumus, ergo ſi benè operemur, debebitur nobis hæreditas vitæ æternæ, etiamſi nulla conventio, vel promiſſio intercedat.

146 Reſpondeo gratiam habitualem, ſivè charitatem non habere ex natura ſua, ſed ex ſola Dei ordinatione vim conſtituendi aliquem Filium Dei adoptivum, ſivè hæredem vitæ æternæ ex dictis *lib.* 2. *diſp.* 7. de Juſtificatione *quæſt.* 1. & ſimiliter actus charitatis ex eadem Dei ordinatione, ſivè promiſſione in gratia incluſa, quæ dicitur acceptatio habitualis, habet vim merendi vitam æternam, quantum ſpectat ad valorem, & condignitatem actus cum præmio proportionati; ſed non quantum ſpectat ad obligationem, & debitum, quod meritum importat, vel connotat ex parte retribuentis, ad hoc enim eſt neceſſaria alia acceptatio, & promiſſio ex parte retribuentis, quæ dicitur actualis, & immediatè actum ipſum reſpicit; & ratio eſt ſuperius non ſemel inculcata, quia cùm homo ſit ſubditus Deo, tanquam ſervus, & mancipium ſub totali dominio Dei; & tanquam filius, qui totum ſuum eſſe habuit à Deo, & deinceps ab ipſomet conſervatur, eſtque innumeris beneficiis obligatus, quicquid facit itâ Deo debetur, ut ſecluſa alia promiſſione Dei nullatenus reddatur Deus debitor ad recompenſanda opera hominis alia mercede. Ad Conf. gratia eſt acceptatio ad gloriam, non ex natura rei, ut talis qualitas eſt, & in genere entis, ſed ex ordinatione divina, ac in genere doni, & beneficii, & ſecluſis operibus eſt acceptatio ad gloriam, tanquam ad hæreditatem, non tanquam ad mercedem, & præmium ex dictis *num.* 110. opus autem iuſti ex hac habituali acceptatione in gratia incluſa habet ſufficientem condignitatem, & valorem ad præmium, quæ inducit in opere ius remotum, ac veluti in actu primo, non tamen proximum, & immediatum, quod infert debitum, & obligationem ex parte retribuentis, ſed ad hoc eſt neceſſaria alia acceptatio actualis ſuperaddita modo iam declarato *nu.* 91. & 92. vndè loquendo de priori acceptatione utique verum eſt repugnare perſonam eſſe acceptam, & non actum, ſi eſt ex inclinatione gratiæ elicitus, non autem quoad poſteriorem acceptationem. Ad ultimum, filio ratione filiationis, & adoptionis vtique debetur vita æterna ſub titulo hæreditatis, non tamen ſub ratione mercedis, & præmii, niſi opera interveniat, ac etiam noua promiſſio ex parte retribuentis de præmio dando quia ex aliis titulis ea poſſet accipere abſq; alterius mercedis recompenſatione, ac proindè eſt neceſſaria promiſſio ſuperaddita, ut ex vi eius fiat præmii debitor.

147 Dices, per gratiam itâ Deus acceptat hominem ad gloriam, ac opera eius tanquam tali præmio condigna, ut ex vi talis acceptationis ſe obliget ad eius opera compenſanda; ergo fruſtrà additur alia noua, & diſtincta acceptatio, cum ſufficiat acceptatio in ipſa gratia incluſa. Reſpondeo negando aſſumptum, quia per acceptationem habitualem in gratia incluſam ſolùm acceptatur perſona, ac etiam eius opera, tanquam condigna, hoc eſt, proportionata ad tale præmium; ſed ex vi talis acceptationis minimè ſe obligat ad illa compenſanda eo præmio, quo facta ſunt digna ex conſortio gratiæ; ſed ad hoc ſe obligat alia ſpeciali promiſſione, quę dicitur acceptatio actualis, & immediatè actum reſpicit. Quod ſi ex vi prioris acceptationis ſe obligaret ad opera iuſti compenſanda, planè alia acceptatio eſſet omninò ſuperflua. Dices, priorem acceptationem in gratia incluſam, ut eſt principium meriti, itâ ſtatui poſſe, ut ex vi ipſius non tantùm conferatur actui condignitas, & valor æquivalens ad præmium, veluti ius remotum, & in actu primo, ſed etiam ius proximum, & immediatum, adeoquod ex vi ipſius obligetur Deus ad eum actum compenſandum tali præmio; quod ſi prior acceptatio in gratia incluſa ſic ſemel declaretur, iam erit omninò ſuperflua poſterior; poteſt autem ſic ſtatui prior illa acceptatio, ſi dicamus habentem gratiam habitualem ſic adoptari, ut non tantùm fiat amicus, & Filius Dei eam habens; ſed quod etiam velit Deus promittere vitam æternam operibus ex eius inclinatione elicitis, in hoc enim ſenſu promiſſio illa, & acceptatio operum non eſſet favor diſtinctus à favore adoptionis. Reſpondeo ſi acceptatio habitualis in gratia ipſa incluſa ſic explicaretur, planè nulla alia acceptatio eſſet ſuperaddenda; verùm rationes omnes ſuperius adductæ convincunt ad completam, & proximam rationem meriti de condigno neceſſariam eſſe aliam ordinationem, ſeù promiſſionem Dei de præmio retribuendo diſtinctam ab ordinatione in ipſa gratia incluſa; Tùm quia cùm gratia viæ, & patriæ ſint omninò eiuſdem rationis, imò prorſus eadem, quia hæc nunquam excidit, ſequeretur Beatos in patria ſuis actibus ſaltem liberis, adhuc mereri, eiſque ſucceſſivè augumentum gloriæ conferri; Atque ideò, Scripturæ, Concilia, & Patres itâ unanimiter explicant acceptationem incluſam, ut ex vi ipſius conferatur tantùm actibus ex eius inclinatione elicitis condignitas, & valor præmio vitæ æternæ æquivalens, non autem inducatur in Deo obligatio, & debitum tale præmium conferendi, ſed ad hoc ſit neceſſaria alia ſuperaddita promiſſio Dei de præmio retribuendo, tanquam favor diſtinctus à favore adoptionis quia non obſtante adoptionis favore poſſet adhuc opera adoptati accipere, tanquam plurimis aliis titulis ſibi debita, abſque ulla illorum operum remuneratione.



148 Sed replicat adhuc Serra q. 114. art. 1. dub. 2. opus non eſſe talem ordinationem ſuperaddere ſed ſufficere eam ſolum, quæ fit per communicationem principii operis meritorii, qualis eſt gratia non conſumata collata viatori huius enim collatio eſt ordinatio ad vitam æternam, ut hæreditatem quidem, quatenus eſt collatio gratiæ abſolutè; ut præmium verò, mercedem, & coronam, quatenus eſt collatio gratiæ, ut principium merendi; & utraque ordinatio ad vitam æternam communicatur operibus bonis iuſtorum mediante gratia; ſumpta quidem abſolutè gratia ordinat ad vitam æternam, ut hęreditatem reddendo opera digna; ſumpta vero, ut eſt principium merendi, ordinat ad eandem, ut præmium, opera ipſa iam per gratiam condignificata; & hæ duæ ordinationes ita ſe habent, ut licet ſecunda nequeat eſſe ſine prima, hæc tamen ſine ſecunda eſſe poteſt, ſi Deus nempè pro ſuo beneplacito vellet, ut gratia, qua aliquem conſtituit filium ſuum adoptiuum, non eſſet principium meriti, ſed eodem modo ſe haberet, quo gratiam quam habent animæ iuſtorum in Purgatorio, vel in patria. Negatur aſſumptum cum probatione, quia hæc duplex ordinatio in gratia incluſa, tam in ordine ad vitam ęternam per modum hæreditatis, quàm per modum pręmii, & coronæ non conſiſtit niſi in dignificatione perſonæ, & operum eius, ita nimirum, ut in eo ipſo quod perſona eſt gratia decorata, cenſeatur digna beatitudine per modum hæreditatis, & rurſus eius opera digna eadem per modum pręmii, & coronæ; & in hoc ſenſu gratia dicitur eſſe principium meriti, hoc eſt, actus de ſe condigni ad gloriam quantum ad valorem; neque ulterius extenditur hęc ordinatio, nempè ad inducendam obligationem, ac debitum ex parte Dei de pręmio retribuendo, ſed ad hoc eſt neceſſaria alia promiſſio, & ordinatio ſuperaddita immediatè cadens ſuper actum; adeo quod gratia dicatur principium meriti, quatenus communicat actui condignitatem, & valorem ad gloriam ut ad præmium; hæc vero promiſſio ſuperaddita dicatur meriti complementum, quatenus dat ei ius proximum, & immediatum ad gloriam inducendo debitum, & obligationem in Deo de ea conferenda; Et defectu tantum promiſſionis huius gratia animæ beatæ in Patria dicitur conſumata, quia opera eius quantumvis bona, & digna non ſunt ordinata ad ulterius præmium; gratia vero viatoribus collata dicitur non conſumata, quia eſt ad præmium ordinata; cum alioquin quoad operum dignitatem & valorem, tam dici poſſit principium meriti gratia comprehenſoris, quàm viatoris; quod ſi illa abſolutè non dicit principium merendi, hoc tantum evenit ex defectu promiſſionis ſuperadditæ, inducentis in Deo obligationem de pręmio retribuendo, quæ dicitur meriti complementum, non autem ex defectu alicuius ordinationis in gratia incluſæ. Quod ſi Thomiſtæ contendant ſecundam ordinationem, quam ipſi ponunt in gratia incluſam, quatenus eſt principium meriti, ſufficienter inducere debitum, & obligationem ex parte retribuentis; gratis concedendum eſt aliam promiſſionem ſuperadditam eſſe ſuperfluam; nihilominus ipſi quoque erunt in tertia ſententia, quam nos defendimus, ad meritum completè, & adæquatè ſumptum requiri Dei acceptationem & promiſſionem de præmio conferendo, ſivè hæc ordinatio ſit in ipſa gratia incluſa, ſivè gratiæ ſuperaddita, & quoad hoc punctum non erit, niſi quæſtio de nomine.

## QUÆSTIO QUINTA.

*An Deus meritis pręmium reddat ex iuſtitia, & quomodo.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*Senſus quæſtionis aperitur.*

149 SCotus 4. *diſt.* 46. *q.* 1. ubi hanc tractat quæſtionem, notat dubitationem non moveri de iuſtitia largè, & communiter ſumpta, quo modo definitur ab Anſelmo de veritate cap. 12. quod ſit rectitudo voluntatis propter ſe ſervata, quo pacto quælibet virtus mentis ipſam rectificans poteſt dici iuſtitia; quia certum eſt in ipſo Deo eſſe ſummam rectitudinem voluntatis propter ſe ſervatam; in voluntate enim ſua eſt rectitudo inobliquabilis, ſicut in prima regula omnium agibilium, & hoc ſivè rectitudo illa habitualis dicat ipſam potentiam voluntatis divinæ ſivè dicat aliquid diſtinctum formaliter à potentia voluntatis correſpondens in Deo habitui accidentali, & ſuperaddito potentiæ in nobis; quo pacto dicitur Deus iuſtè, & rectè agere, dùm facit id, quod eſt ſuæ bonitati conforme, & Deum non poſſe facere, niſi quod iuſtum eſt, & ſuæ bonitati conveniens, in hoc inquam, ſenſu non movetur quæſtio, quia hoc planè non ſufficit ad determinandam, & deſignandam peculiarem virtutem, ex qua Deus retribuit præmium pro merito, vel pœnam pro demerito. Quæſtio itaque eſt de iuſtitia ſpecialiter ſumpta, hoc eſt, pro ea virtute ſpeciali, cuius munus eſt conſtituere ęqualitatem inter aliquos ſecundum debiti rationem; de qua loquitur Ariſt. 5. Ethic. & expreſſius definitur à Iuriſtis quod ſit *conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum unicuiq; tribuens*, quam definitionem latè explicat Bellutus diſp. 7. de Incarn. q. 6. art. 1. in hoc autem ſenſu dicitur huius virtutis munus eſſe conſtituere æqualitatem inter aliquos ſecundum debiti rationem; quia ſi ego v. g. habeam equum Petri, non eſſet inter nos æqualitas, ſed inequalitas, quia in Petro eſſet actio, & ius adverſum me, & in me eſſet debitum, quod eſt iuris correlatiuum, ad reſtituendum Petro equum; undè dùm iuſtitia facit, ut ego reſtituam equum Petro vel æquivalens, reddit inter nos ęqualitatem, & hoc ſignificat ly *ius ſuum unicuique tribuens*, ideſt, reddens unicuique quod ſuum eſt, ac illi debetur; quarè eo plus, vel minus aliqua operatio accedit ad rigoroſam iuſtitię normam, quo plus, aut minus ęqualitatem adimplet, ac debitum ſolvit; de quo fuſius dicemus infrà *diſp.* 7. *q.* 8.

150 Subdit Doctor loco cit. hanc iuſtitiam ſpecialiter ſumptam in commutativam ac diſtributivam dividi ſolere pœnes duplicem ęqualitatis modum, & ſeriem; prima reſpicit ęqualitatem valoris rerum commutatarum, nimirum dati, & accepti ita ut res quę datur tanti valeat, quanti illa, quę accipitur, undè hęc iuſtitia inniti dicitur æqualitati arithmeticę, quia fit ſecundum ęqualitatem dati, & accepti; ubi tamen advertendum eſt, quod licet ęqualitati arithmeticę dicatur inniti, non ideò hoc dicitur, quaſi neceſſariò attendere debeat exactã & metaphyſicam ęqualitatem; ſed ſufficit, quod attingat moralem, nimirum iuxtà diligentiam, quam prudenti eſtimatione poſſumus adhibere, ut notat Bellut. cit. undè eiuſdem rei plura prętia aſſignari ſolent rigoroſum; medium, & infimum Altera verò iuſtitia, nempè diſtributiva, innititur ęqualitati proportionis, non quantitatis, & reſpicit æqualitatem geometricam, quę verſatur inter proportiones; non enim ſimpliciter attendit ęqualitatem dati, & accepti, ſed naturam, & conditionem perſonarum conſiderat, ut qualis proportio eſt inter ſtatus, & conditiones duorum, talis ſit inter pręmia utriuſque undè iuxtà communem explicationem ex Ariſt. loco citato deſumptam exercetur inter multos, ſeù ab uno in ordine ad multos in bonorum communium diſtributione, ut cùm Princeps Reipublicę gradus in cives dividens, maiorem confert gradum maiori, vel digniori, & minorem minori, ſeu minus digno; Utraque tandem dividitur in prĕmiativam, quę pro meritis reddit præmia, & punitivam, ſeù vindicativam, quę pro meritis reddit pęnas, & communi nomine dicitur ab eodem Scoto 1. diſt. 17. qu. 2. KK. retributiva; Ex quo obiter patet quid ſit obligatio ex iuſtitia; quando enim retinet quis rem ſuprà quam alter ius habet, ac dominium, inęqualitatem, & iuſtitiam dicitur committere, & conſequenter tamdiù reſtitutioni, & ſatisfactioni obligatus manet, quamdiù illam retinet; undè obligatio eſt onus rem alienam reſtituendi, per rem alienam intelligendo omne id, quod poteſt eſſe obiectum vel materia iuris, & dominii. Hanc verò diviſionem iuſtitię latius examinabimus infrà *diſp.* 7. *q.* 8.

191 Deum in prĕmiando ſervare aliquo pacto modum utriuſque iuſtitię omnes concedere videntur; id enim ex ſacris Scripturis palam deduci videtur, de diſtributiva quidem ex illo Corinth. 9. *qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, quibus verbis docent Deum in prĕmii diſtributione æqualitatem geometricã, quæ eſt propria iuſtitiæ diſtributivę, aliquo modo ſervare, itaut plus detur ei, qui plus meretur, & minus minus, undè facilius, ac magis proprie in Deo admittunt Theologi iuſtitiam diſtributivam, quam commutativam. Hanc quoque nihilominus etiam aliquo pacto in Deo admittunt, quatenus in reddenda vita æterna iuſtorum meritis aliquo etiam modo æqualitatem quaſi arithmeticam ſervat, & quaſi unius ad unum, ſiquidem iuxtà menſuram laboris dat præmium, vel coronam juxtà illud ad Roman. 2. *Reddet unicuique ſecundum opera eius*, & 1. Corinth. 3. *unuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum valorem*; ſed hanc ſervare æqualitatem ad iuſtitiam ſpectat commutativam, ſicut quod quis æquale reddat ſtipendium operariis pro labore in ſua vinea exhibito, ergo in remuneratione meritorum negari nequit

quit quin aliquo pacto ſervet Deus modum etiam iuſtitiæ commutativæ ſaltem ſecundum ſimilitudinem. Suadetur etiam ratione, quia modus iuſtitię commutativę eſt ſervare æqualitatem dati, & accepti, diſtributivę verò eſt ſervare æqualitatem geometricam in diſtribuendis bonis Communitatis inter illius membra juxtà ipſorum merita; ſed Deus iuxtà quantitatem operis præmium tribuit, & cum apud ipſum alia dignitas non ſit, quàm meritorum, iuxtà talem uniuſcuiuſque dignitatem præmiat, ut conſtat ex Scripturis allatis; ergo tali modo procedendo cum iuſtis Deus in gloriæ diſtributione modum utriuſque iuſtitiæ aliquo pacto ſervat.

152 Vertit ergo difficultas de iuſtitia commutativa verè, & propriæ ſumpta, an hæc in Deo ſit admittenda comparatione creaturarum, eamque exerceat in acceptanda ſatisfactione pro offenſa, & in retribuenda mercede pro meritis. Ratio dubitandi eſt, quia meritum hominis apud Deum non eſt ex rigore iuſtitię; ergo nec eius remuneratio; conſequentia patet antecedens verò conſtat ex dictis, & adhuc magis conſtabit ex dicendis *n. 168. & diſp. ſeq.* dùm examinabimus conditiones omnes ad iuſtitiam requiſitas ſecundum totum rigorem, inter quas una, ac pręcipuerit, quod ad meritum de rigore iuſtitiæ opus eſt, quod obligatio ex eo orta non fundetur in gratia, & liberali acceptatione remunerantis cùm ergo hęc conditio adeò neceſſaria ad rigorem iuſtitiæ in merito hominis apud Deum non reperiatur, ſiquidem fundatur in multiplici gratiæ ipſius Dei, ſcilicet, in collatiône gratiæ iuſtificantis, gratia etiam auxiliantis, in liberali quoque & gratioſa operum alias debitorũ acceptatione, conſequens eſt tale meritum nõ eſſe de rigore iuſtitię, nec conſequenter eius remunerationẽ ad eandem pertinere. Confirmatur ex alia pręcipua conditione quá dicemus ibidem ad rigoroſam iuſtitiam requiri, nempè, quod id, quod datur per illam, ità ſit ex bonis propriis creditoris, ut nullo modo ſit ipſius debitoris; ſed id quod homo dat per ſuum meritum, ſcilicet, bona opera ſunt ipſius Dei, & ipſi alias innumeris titulis debita, ac denique facta ex gratia actuali, & habituali liberaliter ab ipſo Deo conceſſa; ergo dici nequit remunerationem meritorum eſſe ex rigoroſa iuſtitia, & verè, ac propriè dicta.

153 In hac ſolemni controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ quidem extremę, tertia vero veluti media; Prima eſt negativa, & eſt communis omnium negantium in Deo iuſtitiam commutativam propriè dictam, undè conſequenter inquiunt Deum remunerare hominum merita non ex iuſtitia, ſed ex gratitudine, & fidelitate, quatenus enim movetur propter obſequium factum, retributio pertinet ad gratitudinem, & quatenus ea retributio procedit à promiſſione facta, pertinet ad fidelitatem quarè auctoritates adductas inſinuantes, Deum remunerando merita ſervare modum iuſtitię interpretantur de iuſtitia latè ſumpta, prout cum fidelitate coincidit vel gratitudine, quæ quidem virtutes inter partes poteſtativas iuſtitię connumerantur, quatenus gratitudo ſervat æqualitatem quandam ob obſequium factum, & fidelitas ad promiſſionem factam, & ſolvit debitum ex ipſamet promiſſione exortum; dicunt etiam Deum eſſe debitorem, & redditorem mercedis ex iuſtitia, ſumpta communi quadam ratione, prout ſervat menſuram, & æqualitatem mercedis ad meritum; atque ita Deum remunerare concludunt ex iuſtitia potius metaphoricè dicta, quam verè, & propriè; ita tenaciter Vaſquez huius opinionis Coriphęus pluribus in locis, Turrian. Arrubal Alarcon, Lorca, Coninch, Amicus, Ovvied. & ex noſtris Hiquæus *in 4. diſt. 46. q. 1.* Galus in *3. diſt. 20. diſp. 2. ſection. 1.* Smiſin. de Deo uno *tract. 3. diſp. 4. q. 5.* & alii Recentiores quamplures, adeout hic Auctor dicat hanc eſſe opinionem communem tam Recentiorum, quam antiquorum; & quidem de antiquis hoc idem dicit Vaſquez *1. part. diſp. 85. c. 2.*

154 Secunda ſententia extrema eſt affirmativa, quam tenent quicunque in Deo agnoſcunt veram, & propriam iuſtitiam commutativam, quam exercere dicunt in retribuenda mercede pro meritis, cuius opinionis anteſignanus eſt Suarez *tom. 1. 3. part. diſp. 4.* & in opuſc. lib. de Iuſtitia Dei, ac tandem in hac materia libr. 12. de gratia capit. 30. & ſequuntur Recentiores quamplures, Zumel, valentia, Bellarminus, Monteſinos, Caſpenſis, Tannerus, Ioan. à S. Thoma, Lezana, Arriaga, & ex noſtris Poncius, & Bellutus; Hanc tamen non omnes eodem modo defendunt; quidam enim per veram, & perfectam iuſtitiam eam intelligunt ad quam concurrunt omnes conditiones ad rigoroſam iuſtitiam requiſitæ, & in hoc ſenſu defendunt etiam inter Deum, & homines veram, & propriam intercedere iuſtitiam, ità Poncius, Arriaga, & alii nonnulli. Alii verò gratis concedunt iuſtitiam inter Deum, & homines intercedentem non habere conditiones, quæ in noſtra iuſtitia commutativa reperiuntur; nam aliquę imperfectionem involuunt, & ei conveniunt, ut ad creaturas contrahitur, non autem ut communis eſt Deo, & creaturæ; undè inquiunt iuſtitiam Dei non eſſe eiuſdem rationis cum iuſtitia commutativa noſtra, ſed altiori quadam ratione, & ſecluſis imperfectionibus, ita tamen ut retineat adhuc veram, & propriam commutatiuæ iuſtitiæ rationem analogicè communem ad diuinam, humanamq; iuſtitiam ità Suarez, Monteſinos, & alii quamplures. Ex quo deducitur hanc controverſiam magna ex parte eſſe de nomine præſertim cum Auctoribus ſecundam hanc ſententiam in ſecundo ſenſu tuentibus; qualiter nempè accipi debeat propriè nomen iuſtitię, & quod nomen propriè illi tribui debeat virtuti, qua Deus retribuit mercedem pro meritis, cum gratis concedant huic virtuti non omnes convenire conditiones, quę conveniunt iuſtitię commutativę in humanis repertæ ſtrictè, ac rigoroſè ſumptę.

Tertia denique ſententia, veluti media, eſt eorum, qui dicunt inter Deum, & creaturam non poſſe intercedere iuſtitiam ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, & aliqualiter ſecundum proportionem, ſicut inter Dominum, & ſervum, Patrem, & filium; quę eſt vera, ac germana Scoti ſententia 4. diſt. 46. qu. 1. Baſſolii ibidem, ac aliorum veterum Scotiſtarum, quam defendit Vulpes tom. 2. p. 1. diſp. 43. art. 8. & in eodem ſenſu loquuntur plures Scotiſtę citati pro prima & ſecunda, qui enim à Deo iuſtitiam excludunt in meritorum remuneratione loquuntur de iuſtitia rigoroſe accepta, & in hoc ſenſu dicunt inter Deum, & hominem veram, ac propriam non intercedere iuſtitiam, ut Hiquæus, & Gallus, qui verò concedunt Deum ex iuſtitia remunerare, loquuntur de iuſtitia latè ſumpta, ut Bellutus, & alii, quatenus non remunerat ex ſolo motivo gratitudinis vel ſimplicis fidelitatis, ſed aliquo modo etiam ex motivo iuſtitię commutativę; undè ſolus Smiſing. videtur re vera ſtare pro prima ſententia; & Poncius pro ſecunda; quatenus ille excludere videtur abſolutè motiuum iuſtitię in meritorum remuneratione, & iſte contendit è contrà iuſtitiam intervenire in toto rigore, & ſecundum omnes conditiones ad iuſtitiam rigoroſam requiſitas; imò plures Auctores ſecundam ſententiam defendẽtes in ſecundo ſenſu in hac tertia verſari opinor; quamvis enim dicant meritorum remunerationem eſſe ex vera, & propria iuſtitia, intantùm hoc aſſerunt, quatenus nolunt eſſe ex iuſtitia ſolum metaphoricè dicta, ut prima aiebat opinio; Undè decidendo quęſitum aiunt aliud eſſe dicere Deum reddere mercedem operibus meritoriis ex rigoroſa iuſtitia; aliud verò quod Deus reddat talem mercedem ex vera, & propria iuſtitia, vera enim iuſtitia ſolùm denotat eſſe talem iuſtitiam quę non dicatur talis impropriè, aut metaphoricè ſolum; eſſe autem rigoroſam iuſtitiam denotat ſervari in ea ſecundum totum rigorem omnes conditiones requiſitas; ità loquitur Lezana tract. 7. diſp. 8. quęſt. 7. & alii quamplures, qui ſic loquentes cum hac tertia ſententia coincidunt, quatenus per veram, & propriam iuſtitiam, quam dicunt interuenire in meritorum remuneratione, intelligunt illam, quę non eſt talis impropriè, & metaphoricè ſolum, eſto non habeat omnes conditiones ad rigoroſam iuſtitiam requiſitas ideoque conſultò dicebamus hanç eſſe quęſtionem de nomine, qualiter nimirum accipi debeat nomen iuſtitię, ut dicatur vera & propria, & quod nomen propriè tribui debeat illi virtuti, qua Deus merita remunerare dicitur.

156 Hinc Auctores aliqui ad vitandam de nomine quęſtionem, primò dicunt Deum utique retribuere gloriam pro meritis condignis ex ſua iuſtitia peculiari quodam modo dicta, nam hic eſt receptus, & conſuetus loquendi modus, ut in retributione mercedis pro merito iuſtitia nominetur, & ſpeciali quodam titulo, & non communi virtutum ratione. Deindè inquiunt, negandum non eſſe dari certum conceptum analogicè communem ad iuſtitiam commutativam humanam, & iuſtitiam hanc divinam, quatenus Deus reddit pręmia pro meritis, & ſupplicia pro peccatis & habet reddere ęquale pro eo quod ab homine exhibitum eſt, cum obligatione aliqua ex parte Dei ad id retribuendum ex promiſſione, & pacto ipſius Dei, & in hoc conceptu plane convenit cum iuſtitia commutativa humana; An verò iuſtitia in hoc communi conceptu conſiderata, & ſic explicata adhuc retineat rationem iuſtitię commutativę, vel non, dependet ſolum ex huius nominis ſignificatione; ſi enim hoc nomen determinate ſignificet iuſtitiam, quę in commutatione verſatur cùm translatione dominii, jam certum eſt non convenire juſtitię Dei nec iuſtitiæ in communi ut ſic; Si autem magis abſtractè ſignificet remunerationem ęqui valentem pro obſequio exhibito faciendam ex promiſſione, & obligatione, ſic dici etiam poterit de divina juſtitia; ità eleganter diſcurrit Averſa quęſt. 114. ſect. 12. Quare rebus ſic ſtantibus, ſolùm ſupereſſet contentio, quonam ex his duobus modis accipi debeat, quę ſanè levis eſſet contentio; abſolutè tamen inquit hic Auctor præferendum eſſe illum loquendi modum, qui communis eſt, & magis approbatur, negando nempè in Deo iuſtitiam commutativam & ſumendo hoc nomen pro illa rigoroſa commutatione, quę ſupponit ſeparationem dominii inter duos, & habet transferre dominium ex uno ad alium per datum, & acceptum; & tandem concludit in fine lectionis, hanc iuſtitiam in Deo

appel-



appellari poſſe præmiativam, ſicut illa, quæ reddit ſupplicia pro peccatis, vocatur punitiva, & uindicativa, & iuſtitia utrique communis commodè dici poterit retributiva, ſeù compenſativa, quia retribuit pręmia pro meritis, & pro demeritis ſupplicia, cui loquendi modo etiam ad evitandam de nomine quęſtionem favet Scotus *1. diſtin. 17. quæſt. 2. § ſed tunc lit.* KK. ubi divinam hanc iuſtitiam vocat commutativam, vel potius retributivam, & planè hęc ſola animadverſio ſufficeret ad decidendam hanc ferè totam de nomine quęſtionem, nihilominus, quia Recentiores circà eam tot implent paginas, ubi veteres valdè ſobriè locuti ſunt videntes eſſe quęſtionem nominalem, ne difficultates diſſimulare videamur, aliquas duxi ſtatuendas concluſiones pro ejus reſolutione.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Deciditur Quæſtio.*

157 DIcendum primò, Deum remunerare merita non ex ſolo motivo fidelitatis, aut gratitudinis, ſed etiam aliquo modo ex motivo iuſtitię. Concluſio hæc ſtatuitur contrà pirmam ſententiam, quæ nullam prorſus agnoſcit in Deo peculiarem virtutem, per quam merita compenſare dicatur, diſtinctam ab illis partibus poteſtativis iuſtitiæ. Et quidem quod non remuneret ex ſimplici, & pura fidelitate, probatur, tùm à priori, tùm à poſteriori, à priori quidem, quia meritorum retributio non ſpectat ad puram fidelitatem, & veritatem, quia hæc habet pręciſè ęqualitatem doni cum promiſſione, ſeù facti cum dicto, at in hac retributione præter ipſam promiſſionem, vel promiſſionis adimpletionem ſervatur etiam æqualitas cum valore meritorum, quæ ex parte hominis ſunt exhibita, ergo hæc retributio planè ad aliam ſpectat virtutem, quàm puræ, & ſimplicis fidelitati, minor patet ex dictis, probatur maior, quia virtus fidelitatis, & veritatis ſola, & pręciſè ſumpta tunc exercetur, quando non alio motivo, vel debito aliquid ſit, niſi ut adimpleatur id, quod dictum eſt, ut conſtituatur æqualitas facti cum dicto; undè pura promiſſio inducit tantum debitum fidelitatis; ſed quando conjungitur cum onere, & compenſatione ex parte alterius, non tantùm inducit debitum fidelitatis, & veritatis, ſed conſtituit, arctiorem quandam iuſtitiæ rationem. Quod etiam à poſteriori oſtenditur, quia remiſſio peccatorum datur ex fidelitate ultimæ diſpoſitioni ad iuſtificationẽm, ut patet ex omnibus Scripturę locis, ubi remiſſio peccatorum promittitur contritioni *convertimini in toto corde veſtro*. Joel. 1. *convertimini ad me, & convertar ad vos*, Zacc. 1. ſed non eodem modo tribuit Deus gratiam contrito, & gloriam bene operantibus, nam gratia habet rationem mercedis, & coronæ, ſicut gloria, alioquin gratia non eſſet, ut inquit Apoſtolus; ergo gloriam ex aliquo alio motivo altiori, & ſtrictori conferre debet, quod utique erit motivum iuſtitiæ.

158 Reſpondent Auctores primę ſententiæ id convincere ad ſummum, quod Deus mercedem pro meritis retribuat etiam ex virtute gratitudinis coniuncta cum motivo fidelitatis. Contrà, quia id quod redditur ex gratitudine eſt donum quoddam liberaliter conceſſum in recompenſationem beneficii alterius, autem eſt debitum in ratione mercedis, ſicut debita dicitur gloria benè operantibus juſtis; ergo vita æterna debetur iuſtorum operibus pluſquam ex fidelitate, & gratitudine, atque ideò ex iuſtitia; conſequentia patet, quia non eſt aſſignabilis alius titulus, vel alia obligatio ſtrictior ſuprà fidelitatem, & gratitudinem, niſi obligatio ex iuſtitia. Confirmatur, quia gratitudo formaliter reſpicit beneficium à benefactore acceptum, & habet præciſè ſervare æqualitatem quandam compenſationis cum beneficio accepto, ſecluſa alia ſpeciali promiſſione, & obligatione, ſed Deus nequit ab alio beneficium recipere, aut benefactorem agnoſcere, & in propoſito noſtro intervenit expreſſa, & vera promiſſionem obligatio Dei; ergo &c. Nec iuvat, quod inquit Vaſquez, quod licet ex parte creaturæ dari nequeat beneficium propriè dictum reſpectu Dei; tamen ſi per beneficium intelligatur res, vel actio quocunque modo alteri grata, ſic quidem bona opera noſtra eſſe grata Deo, poſſeque dici per gratitudinem recompenſari, undè concludit divinam gratitudinem eſſe altioris rationis ab humana. Non valet, inquam, quia beneficii nomen planè involuit rationem dati, & accepti, nam à benefactore datur, & ab alio accipitur, & præter hoc importat etiam commoditatem, & emolumentum quoddam accipientis; ergo ſiut Vaſquez ratione ſignificati dati, & accepti, quod involuit in ſuo conceptu iuſtitia commutativa, hanc ipſam mordicus negavit in Deo; eadem ratione tenebatur negare in ipſo nomen gratitudinis reſpectu noſtri, & nomen beneficii in noſtris operibus reſpectu Dei; vel qua ratione admittit in Deo gratitudinem altioris ordinis à noſtra, præciſis imperfectionibus, ſic etiam de iuſtitia diſcurrere poterat, ac debebat, ſiquidem non magis repugnat inter Deum, & creaturam Dominum, & ſervum iuſtitia, quàm gratitudo, cum utraque reſpiciat opera aliàs indebita.

159 Deindè, quod Deus noſtra remuneret merita, non ex ſolo fidelitatis motivo, aut gratitudinis, ſed etiam aliquo modo ex motivo iuſtitiæ, clarè demonſtrant plura ſacræ Scripturæ teſtimonia iuſtitiam Deo tribuentis erga homines non ſolum punitivam, ut adverſarii explicare ſolent, ſed etiam præmiativam, ut ad Corinth. 3. *unuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, & 2. ad Timot. 4. *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, &c. Frequenter etiam à Patribus Deus appellatur debitor noſtri ratione bonorum operum, debitor, inquam, non tantùm ex fidelitate, ſed etiam ex iuſtitia, ità ſæpè Auguſtinus locis iam citatis ſuperius num. 106. & 139. & præſertim ità loquitur Bernardus tract. de gratia, & lib. arbitr. verſus finem, ubi loquens de retributione æterni præmii vocat illud *promiſſum quidem ex miſericordia, ſed iam ex iuſtitia perſolvendum*.

160 Neque ſatis idoneè teſtimonia hæc Scripturarum, & Patrum adeò clara, & patentia, de iuſtitia latè ſumpta explicant Adverſarii, prout cum fidelitate coincidit, vel metaphoricè accepta, non de rigoroſa, & ſtrictè ſumpta. Non, inquam, eſt idonea explicatio, quamvis enim per ſtrictam iuſtitiam intelligendo illam, ad quam concurrunt conditiones rigoroſæ iuſtitiæ ſuprà inſinuatæ *n. 151.* & quæ ſupponit debitum ſimpliciter ex naturis rerum exortum, & ab alio impoſitum, verum ſit utique talem iuſtitiam in Deo non reperiri reſpectu creaturæ; nihilominus ſi per iuſtitiã latè ſumptã intelligant obligationẽ ex ſimplici promiſſione ortam, falſum eſt hanc ſolam in Deo reperiri in meritorum retributione; ſiquidẽ ùt rectè urget Bellutus *diſp. 7. q. 5. art. 3.* præter fidelitatis debitum datur in Deo aliud debitum, quod eſt mediũ inter debitum fidelitatis, & debitum rigoroſæ iuſtitiæ, ſtrictius illo, & latius iſto, quia Deus eſt debitor largiendi gratiam contrito, & dandi gloriam iuſto; ſed hoc debitum eſt ſtrictius illo, quia largiendo gratiam Deus dicitur fidelis, at conferendo gloriam dicitur à Paulo iuſtus Judex, & gloria vocatur merces, & corona, quo etiam ſenſu à Scoto *1. diſt. 17. q. 2. LL.* hæc obligatio in Deo & dignitas ex parte actus vocatur *ſecundum ſtrictam iuſtitiam*, nam hanc dignitatem ibi opponit dignitati actus contritionis reſpectu iuſtifications, in qua ſolum intervenit fidelitatis debitum; ergo hoc debitum in Deo gloriæ meritis conferendę, non eſt ſimplicis fidelitatis, ſed etiam iuſtitiæ propriè dictæ, & non tantùm metaphoricè. Confir. totus hic diſcurſus ex differentia iam ſuperius aſſignata *q. 1.* inter meritum de congruo, & de condigno, ubi diximus, quando debitum intervenit in merito de congruo, ut in oratine, & ultima diſpoſitione ad iuſtificationem, hoc eſſe pręciſè debitum fidelitatis, utpotè ortum ex ſimplici promiſſione, vel ſi ſub conditione operis oneroſa, non tamen operis ęqualis, & condigni ad rem promiſſam, ut præſertim conſtat ex dictis *n. 100.* ergo id quod debetur merito de condigno, altiori titulo, & ſtrictiori jure debitũ erit, nempè ex iuſtitia, Et ratio à priori eſt ibidem inſinuata, quia ex promiſſione oneroſa ſub cõditione operis æqualis, vel condigni ad rem promiſſam, oritur obligatio ex iuſtitia, ut conſtat de obligatione reddendi denarium operatio, facta conventione ſub conditione laboris diurni in vinea; cùm igitur Deus bonis iuſtorum operibus vitam promiſerit æternam, ac talia opera ęqualitatem habeant, & condignitatem ad eum, eo quod ex gratia procedunt quę eſt ſemen, & pignus vitę æternæ, planè ſequitur ex iuſtitia teneri ad ea compenſanda, & non tantùm ex fidelitate, aut eitam gratitudine.

161 Reſpondent deniqud inter homines oriri obligationem iuſtitiæ ex promiſſione facta ſub oneroſa conditione operis ęqualis, non autem inter Deum, & homines, inter quos non poteſt eſſe vera iuſtitia, ſicut neque inter Patrem, & filium, dominum, & ſervum; undè ex his aiunt convinci tantùm Deum eſſe debitorem, & redditorem mercedis ex iuſtitia ſumpta communi quadam ratione, prout ſervat menſuram, & ęqualitatem mercedis ad meritum. Sed Contrà, quia ex hoc, quod homo homini poteſt ſola operis, & obſequii efficacia inducere obligationem retributionis, & non tantùm ex hominis promiſſione ortam, ſed etiam ex natuara rei, & ab alio impoſitam; Deo autem non poteſt, niſi Deus ipſe promiſſione ſua ſe debitorem efficiat, quia opera ab homine exhibita poſſet accipere, ut innumeris aliis titulis ſibi debita, ſicut etiam Pater à filio, & dominus a mancipio; ex hoc, inquam, ſolùm inferre licet inter Deum, & creaturam non poſſe veram intercedere iuſtitiam, & ſimpliciter dictam, qualis dicitur iuſtitia rigoroſa omnibus conditionibus inſtructa, quod gratis concedimus cum Scoto *loc. cit. diſt. 46. quæſt. 1.* quia nec poteſt eſſe ſimpliciter æqualitas dati, & accepti inter ipſos ex natura rei exorta, nec poteſt Deus eſſe debitor creaturę ex natura rei, ac obligatione ab ipſa creatura ſibi impoſita, ut contignit in creaturis, ſed tantùm ex liberalitate ſua, ut ibi disertè tradit Doctor; Hoc tamen non obſtat, quin adhuc inter Deum, & creaturam intercedere poſſit iuſtitia ſaltem ſecundum quid, orta nimirum ex obligatione



ſtrictio-

ſtrictiori, quàm ſit obligatio fidelitatis, ac debitum gratitudinis, quæ etiam dicatur vera iuſtitia quatenus non eſt tantum talis metaphoricè dicta, ſed re vera participat aliquas iuſtitiæ veræ, & rigoroſæ conditiones, licet non omnes. Ex quo etiam deducitur falſum eſſe, quod addebatur, Deum retribuere gloriam pro noſtris meritis ex iuſtitia utcumque communi modo dicta iam explicato ab initio quæſtionis *n.* 148. quia planè ea non ſufficit ad determinandam peculiarem virtutem in Deo, ex qua dicitur retribuere præmium pro merito, & de qua præcisè hic eſt quæſtio; Tùm quia ſi intelligitur ſpecialiter talis iuſtitia, qua Deus in retribuenda mercede ſervat equalitatem cum merito, ut dicitur in allata reſponſione; iam hæc non eſt iuſtitia communi modo dicta, quo pacto, & aliæ virtutes ſub nomine iuſtitiæ comprehendi ſolent; ſed eſt iuſtitia peculiari quodam modo dicta, ut ſatis de ſe conſtat; Quæ an dici debeat commutativa, nec ne, aut potius retributiva, vel premiativa, eſt ſola quæſtio de nomine, ut dixi *n.* 155.

161 Ex qua doctrina facilè etiam reiiciuntur aliæ reſponſiones datæ à Iunioribus poſt Vaſquez; etenim Ovied. *tract.* 9. *controv.* 8. *punct.* 12. omnibus teſtimoniis, quæ pro noſtra ſententia afferri ſolent, reſpondet, intelligenda eſſe de iuſtitia, quatenus ſe extendit ad ſuas partes poteſtativas, non verò de iuſtitia ſpeciali virtute ab omnibus aliis diſtincta, quæ quidem propriiſſimè abſque ulla metaphora iuſtitia dici poſſunt generaliter ſumpta, etſi non dicantur iuſtitia ſpecialiter ſumpta, & ità ſenſu valdè proprio, & frequentius uſurpato à Patribus prædicta teſtimonia ait exponi poſſe; Ad rationem deductam ex diſcrimine verſante inter maritum de congruo, & de condiguo, reſpondet merita de congruo, etſi aliquo modo poſſent dici, retribui per actum iuſtitiæ, quia illorum retributio pertinet ad fidelitatem, quę eſt pars poteſtativa iuſtitiæ, non ità tamen ex iuſtitia dici poſſunt, ſicut merita de condigno, quia illorum retributio longè magis diſtat à iuſtitia ſpecialiter ſumpta, cui eſt valdè propinqua retributio meritorum de condigno, in quibus reperitur æqualitas inter datum, & acceptum, quæ eſt optima pars iuſtitiæ ſpecialiter ſumptæ non reperta in meritis de congruo.

162 Refellitur inquam, hæc ſolutio ex doctrina iam tradita, qua oſtenſum eſt adducta teſtimonia non ſufficienter exponi de iuſtitia, quatenus ſe extendit ad ſuas partes poteſtativas, quia vita æterna debetur operibus iuſtorum pluſquam ex fidelitate, & gratitudine, atque ideò ex iuſtitia, quia non eſt aſſignabilis alius titulus, vel alia obligatio ſtrictior ſuprà fidelitatem, & gratitudinē, niſi obligatio ex iuſtitia; tùm quia ſi illa virtus, qua Deus merita noſtra compenſat, ſervat æqualitatem cum eis, iam non eſt iuſtitia generaliter dicta, quæ à tali æqualitate præſcindit, ſed ſpecialiter ſumpta. Et hoc ipſum ſatis evidenter fatetur hic Auctor in reſponſione ad rationem, dùm inquit, dici non poſſe meritum de congruo, compenſari per actum iuſtitiæ ſpecialiter dictæ eo modo, quo meritum de condigno; quia nimirum illius retributio longè magis diſtat à iuſtitia ſpecialiter dicta, cui valdè propinqua eſt retributio iſtius; his enim verbis evidenter fatetur vitam ęternam merito de condigno deberi pluſquam ex fidelitate & gratitudine, quia tale debitum poteſt etiam in merito de congruo reperiri; ergo erit debitum iuſtitiæ ſpecialiter dictæ, cui magis appropinquat eius retributio. Et ratio eſt, quam ipſe reſpondens aſſignat, quia in merito de condigno reperitur æqualitas inter datum, & acceptum, quæ eſt optima pars iuſtitiæ ſpecialiter ſumptæ, non reperta in merito de congruo; Quod autem hæc æqualitas non ſit ſimpliciter, & ex natura dati, & accepti, ut accidit in humanis, nec debitum ſit Deo impoſitum à dante ex ſola ſui operis efficacia; & dignitate, ſed pręcisè ex liberalitate Dei acceptantis, qui poſſet opus illud ſub aliis titulis ſibi debitum accipere abſque ullius compenſationis promiſſione abſque iniuſtitia; hoc, inquam, non aufert à Deo iuſtitiam, quę ſit ſpecialis virtus, & arctiorem obligationem involuit quàm ſit obligatio orta ex fidelitate, aut gratitudine; ſed ſolùm obſtat, quod non ſit commutativa, qualis inter homines reperitur, atq; ideò inter Deum & hominem non verſetur iuſtitia ſimpliciter, & rigorſa, ſed tantùm ſecundum quid, qualis eſt inter Patrem, & Filium, dominum, & ſervum ex Scot. cit.

163 Denique ex hac eadem doctrina exploditur reſponſio Smiſing. *diſp.* 4 *cit.* *q.* 5. *ubi n.* 70. inquit Scripturas adductas nomine iuſtitiæ fidelitatem ſignificare, quatenus eſt pars potentialis iuſtitię, & peculiarem in retributione meritorum cum ea ſimilitudinem habet; & in eis vitam æternam appellari mercedem, coronam, & bravium, eſſeque debitum, ſed ex fidelitate, & promiſſione ſub conditione operis condigni quo quidem ſimilitudinem habet cum debito iuſtitiæ propriè dictæ; quia in utroque debito eſt quoddam contrapaſſum, ſeu ratio dati & accepti, eſt etiam quædam condignitas inter debitum, & acceptum, ac denique mutua obligatio inter eos, inter quos debitum hoc intercedit; deficit tamen à propria, & adæquata ratione debiti iuſtitiæ, quia in illo non cernitur ſimpliciter contrapaſſum, nec æqualitas ſimpliciter.

Ad rationem verò deductam ex diſparitate meriti de congruo & de condigno, quia ex promiſſione acceptata ſub conditione operis equalis, & condigni, qualis intervenit in merito de condigno, oritur obligatio ex iuſtitia, & non ex ſimplici fidelitate; Negat hoc aſſumptum n. 71. & inquit, quod Deus poſita promiſſione ſua ſub conditione operis, non aliter quam ex fidelitate debet promiſſum implere, nec arctius intrà latitudinem debiti fidelitatis obligatur ex promiſſione ſub conditione operis, quam ex nuda promiſſione obligaretur, quia illud opus à nobis exigendo non imponit nobis novum onus, cum etiam ſine mercedis expectatione illud ei debeamus univerſali titulo ſupremi dominii. Quod autem per penitentiam non mereamur de condigno veniam, ſicut neque per orationem rem petitam, mereamur autem de condigno vitā ęternam, non eſt quia Deus nobis ſtrictius obligetur ex promiſſione dare vitam æternam pro merito, quàm veniam pro pęnitentia, & rem petitam pro oratione, ſed quia in merito vitæ ęternę reperitur condignitas reſpectu illius, non in pœnitentia reſpectu venię, nec in oratione reſpectu rei petitæ, quę condignitas in uno, & non in ceteris, fundatur in conditione perſonæ operantis, quæ per gratiam ſupponitur grata, & amica Deo.

Exploditur inquam, hæc reſponſio ex confutatione aliarum ex ea parte, qua cum eis coincidit, quod nempè Scripturæ nomine iuſtitiæ in merito de condigno, ſolam fidelitatem intelligunt, ac etiam vitam æternam ſolo fidelitatis titulo deberi in ratione mercedis, & coronæ; quia quod eſt debitum ex ſola fidelitate, aut gratitudine, non ſit debitum, ut merces & corona, ut ſatis de ſe patet, alioquin etiā gratia, poſſet dici merces, quia cadit ſub merito de congruo, & ſub debito fidelitatis pœnitentiā agentibus; & hoc ipſum probat, quod ſubdit hic Auctor, in merito de condigno reperiri quoddam contrapaſſum, & rationem dati, & accepti, ac quandam operis condignitatem, quæ non reperitur in merito de congruo; hoc enim ſatis clarè oſtendit debitum ex merito de condigno reſultans ſtrictius eſſe, quàm purum debitum fidelitatis reſultans ex merito de congruo, & arctiorem quandam iuſtitiæ rationem conſtituere, quàm importet purum fidelitatis debitum; Quod verò adhuc deficiat à propria, & adæquata ratione debiti iuſtitiæ, quia in eo non cernitur ſimpliciter contrapaſſum, nec æqualitas ſimpliciter, hoc totum gratis concedimus; quia neque nos aſſerimus, quod tale debitum conſtituat inter Deum, & hominem rationem iuſtitiæ rigoroſæ, & ſimpliciter dictæ, qualis in noſtra humana iuſtitia reperitur. Ad rationem verò, immeritò negatur illud aſſumptum, quod ſatis probatum eſt ſupra *n.* 159. & falſum omninò eſt, quod Deus poſita promiſſione ſua ſub conditione operis æqualis, & condigni, nō aliter quam ex fidelitate debeat pormiſſū implere, nec arctius obligetur ex promiſſione ſub conditione operis onéroſa, quam ex nuda promiſſione, hoc plane apud omnes falſum eſt, hoc enim eſt diſcrimen, quod omnes agnoſcunt inter ſimplicem, & nudam promiſſionem ex una parte, & promiſſionem ſub conditione oneroſa operis præſertim æqualis, & condigni, quod illa inducit debitum ſolius fidelitatis, hęc verò etiam iuſtitiæ, ut conſtat ex dictis *nn.* 100. & quidem oppoſitum aſſerendo deſtruitur omninò diſcrimen poſitum ſuperius *q.* 1. *art.* 1. *n.* 6. inter meritum de congruo, & de condigno, quia cum merito de congruo ſtat etiā debitum fidelitatis, non autem iuſtitię; Quod verò tale opus à nobis exigendo novum onus non imponat, quicquid ſit de hoc, id certè non impedit, quin ipſo exhibito ſtante divina promiſſione reſultet in Deo debitum iuſtitiæ; quia hoc debitum arctius debito fidelitatis non oritur ex aliqua novitate oneris impoſiti, ſed ex divina promiſſione ſuppoſita ſimul condignitate, & æqualitate operis; quamvis enim abſolutè loquendo illud opus ſit aliàs Deo debitum univerſali titulo ſupremi dominii tamen ſuppoſita ſemel liberali promiſſione de illo opere remunerando, non poteſt opus illud ratione ſuę condignitatis à Deo compenſari minori præmio, quàm ſit beatitudo, quod non contingit in merito de congruo; ex quo evidenter convincitur Deum nobis ſtrictius obligari ex promiſſione ad dandam vitam ęternam pro merito, quàm gratiam pro pænitentia. 164

Dices, id adverſari Scoto *loc. cit.* 4. *diſtinct.* 46. *quæſt.* 1. ubi *lit.* C. inquit, non poſſe dari in Deo iuſtitiam ſimpliciter reſpectu creaturæ, quia non poteſt eſſe ſimpliciter equalitas, ſed tantum aliqualiter, & ſecundum proportionem, ſicut inter Dominum, & ſervum, dominum enim liberalem decet retribuere maius bonum, quàm ſervus, poſſit mereri, dum tamen ſit talis proportio, quod ſicut ſervus facit, quod ſuum eſt, ità Dominus retribuat, quod ſuum eſt, quod etiam reperit in reſponſione ad 1. dicens non eſſe ibi æqualitatem ſimliciter, ſed aliqualem tantum qualis eſſe poteſt Domini excedentis ad ſervum valdè exceſſum. Reſpond. hoc dictū Doctoris ſanè non ita intelligi debere, quaſi meritis iuſtorum ex ſola quadam decentia, ut propter magnificentiam dantis, detur vita æterna, & non ob operum condignitatem ut litera ſonare videtur, ſic enim intelligendo opera iuſtorum reſpectu vitę ęternę non eſſent merita de condigno, ſed omninò de congruo, ut conſtat ex diſcrimine inter hæc merita aſſignato *q.* 1. *n.* 6. Sed hoc tantùm dixit ad excludendam iuſtitiam ſimpliciter, & rigoroſam inter Deum, & creaturam, quia cùm ex parte dantis non concedatur jus ſimpliciter, ut ei retribuatur æquale acquiſitum in eo ex natura dati, & accepti, & conſequenter nec debitum ſimpliciter conceditur ex parte accipientis, ut retribuat æquale ſecundum quantitatem; certè nequit tunc à parte rei inter dantem, & recipientem habere locum iuſtitia commutativa accepta ſecundum proprium, & formale ſignificatum eius, aut talis, qualis reperitur in nobis; Intantum ergo dicit gloriam dari operibus juſtorum ex liberalitate Dei retribuentis, quia debitū retribuendi non ei à creatura imponitur, ſed ipſemet aliud ſibi imponit, & quantumvis opus juſti, ut ex gratia procedens, ſit tali præmio condignum, poſſet illud non compenſare, ſed acceptare, ut mille aliis titulis ſibi debitum, ideoque quod illud aliis titulis non obſtantibus remunerare velit, ad eius liberalitatem, & magnificentiam pertinet, licet ſuppoſita, tali promiſſione liberaliter facta poſteà ex iuſtitia illud tali, ac tanto præmio remunerare, & non minori, ob operis condignitatem, & æqualitatem ad tale premium; adhuc tamen hæc non eſt iuſtitia, & æqualitas ſimpliciter, quia obligatio præmii, & condignitas operis non oritur ex natura rei, neque fundatur in natura dati, & accepti, ſed in multiplici gratia ipſius Dei, ſcilicet, in collatione gratiæ iuſtificantis, gratiæ etiam auxiliantis, & in liberali tandem, & gratioſa operum alias debitorum acceptatione; & in hoc ſenſu dicit Doctor Deum dando juſtis vitam æternam retribuere majus bonum, quàm ſervus de ſe mereri poſſit, eſtò ſuppoſita gratia ex parte operantis acquirat opus ex eius conſortio æqualitatem cum præmio, non quidem quantitatis, ſed proportionis, & virtutis ſuperius explicatam *q.* 1. *n.* 8. Quo autem ſenſu dicatur Deus præmiare merita noſtra ultra condignum abſq; præiuditio condignitatis, & illorum, jam explicatum eſt *qu.* 3. 165



## ARTICULUS TERTIUS.

*Statuitur altera Concluſio.*

166 Dicendum ſecundo; quod virtus illa, ex qua Deus dicitur noſtra compenſare merita, à gratitudine, & fidelitate diſtincta, non eſt iuſtitia ſimpliciter, & abſolutè dicta, ſeù conditionibus omnibus inſtructa ad rigoroſam iuſtitiam requiſitis, qualis eſt iuſtitia commutativa inter homines, ſed tantùm ſecūdum quid, qualis eſſe dicitur ab Ariſt. 5. Ethic. c. 1. inter Patrē, & Filium; Dominum, & ſervum. Hæc eſt Scoti loc. cit. & ſtatuitur contrà ſecundam ſententiam; & Probatur in primis auctoritate Patrum, qui variis modis hanc veritatem indicarunt dicentes Deum nihil nobis debere, reddere debita nulli debere, non habere debitum ex jure, debere ſolùm ſuæ bonitati, & miſericordiæ præmium, quod nobis tribuit pro bonis operibus; ità Anſelmus Proſolog. c. 10. *juſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis, quod decet te ſumme bonum*, & Aug. 1. confeſſ. cap. 3. *reddis debita nulli debens*, & Ber. ſer. 1. de Annunc. *neque talia ſunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam faceret niſi eam donaret*, & ita paſſi malii loquuntur, ex quibus Patrum dictis, quæ longa ſerie afferuntur à Smiſing. loc. cit. colligitur eos non agnoſcere in Deo debitum proprium iuſtitiæ, & ſtrictum, exortum, ſcilicet ex natura rei, ratione dati, & accepti ſecundum æqualitatem quantitatis iuxtà leges neceſſariò dictantes, vel taxantes eiuſmodi æqualitatem ſecundum exigentiam rerum, quæ commutantur; ſed ſolùm debitum latè ſumptum in promiſſione Dei fundatum, ſuppoſita pariter operum condignitate ex gratia habituali deſumpta, quatenus eſt ſemen, & pignus gloriæ; Dùm autem dicimus Patres eo loquendi modo excludere à Deo debitum rigoroſum ſimpliciter, non autem debitum minus rigoroſum, & ſecundum quid præſupponens gratiam, & liberalitatem ipſius Dei, hoc planè non ità intelligendum eſt, quaſi in hac materia agnoſcant in Deo debitum duntaxat ſimplicis fidelitatis, ut explicat Smiſing. quia quod redderetur à Deo non habrret rationem mercedis, & coronæ, ſed gratiæ tantùm, ut ſuprà deducebamus; nec merita noſtra eſſent propriè meritoria, ut diſcurrit Apoſtolus ad Rom. 11. *ſi autem gratia, iam non ex operibus* & c. 4. *merces imputatur ei qui operatur, non ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum* & 1. Corint. 3. *unuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, itaq; hoc loquendi modo Patres ſolùm iuſtitiam rigoroſam, & ſimpliciter dictam à Deo excludere intendunt in meritorum compenſatione; alioquin ſuppoſito pacto, & promiſſione, ſuppoſitaque operum condignitate in gratia fundata, planè Deum debitorem noſtrum agnoſcunt etiā ex iuſtitia, adeout huiuſmodi facta ſuppoſitione dicere poſſimus Deo cum Auguſt. ſermon. 19. de verbis Apoſtoli. *Redde, quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti.* Cùm verò Bernardus aiebat, Deum non fore iniurium, ſi debitum negaret merenti, hoc eſt ità intelligendum, ut ſcitè explicat P. Bellutus quia cum Deus ſit perfectiſſimus omnium Dominus, acceptationem, & pactum illud revocare poteſt, & conſequenter ius a creatura auferre adverſus ipſum Deum; non autem intelligi debet ſuppoſita divina acceptatione, & promiſſione; ut ſic enim, & in ſenſu compoſito eſſet iniuſtus iuxtà illud Apoſt. ad hæbreos 6. *Non eſt iniuſtus Deus, ut obliuiſcatur operis noſtri.*

Reſpondent Auctores ſecundæ ſententiæ, & pręſertim Poncius diſp. 6. q. 5. n. 35. Patres non negare debitum iuſtitiæ quodcunque, ſed reſpondens operibus noſtris naturæ viribus, & abſq; auxilio gratiæ factis, aut operibus ex gratia factis præciſa divina promiſſione, qua ſuppoſita inquiunt operibus gratiæ iam ex iuſtitia vere, & propriè dicta deberi mercedem repromiſſam. Cęterum quamvis negari nequeat quoſdam Patres etiam in hoc ſenſu eſſe locutos, adhuc tamen fatendum quoq; eſt alios quamplures etiam locutos eſſe de operibus meritoriis, ut fiunt de facto, nempè ex gratia, ac Dei promiſſione ſuppoſita; & in hoc ſenſu afferunt illis non deberi mercedem ex iuſtitia, hoc eſt ex iuſtitia omninò rigoroſa; ſeù ſecundum leges rigoroſæ iuſtitiæ; quod præſertim deducitur ex Aug. ſer. cit. de verbis Apoſt. ubi diſertis verbis diſtinguit debitum Dei ex promiſſione ortū à debito, quod eſt ex dato, & accepto ex natura rei relicto, quod ſolum eſt debitū iuſtitię propriè dictæ, & hoc negat operibus meritoriis etiā, ut ex gratia factis, & ſuppoſita Dei promiſſione; & in hoc ſēſu alios quoq; Patres eſſe locutos oſtendit Smiſing. loc. cit. per quod effugiū illud Adverſariorum ſufficienter manet pręcluſū. 167

Deindè probatur ratione ex eo deducta, quod iuſtitiæ, quam Deus ſervat in meritorum compenſatione, deficiunt præcipuæ conditiones ad rigoroſam iuſtitiam, ac ſimpliciter dictam requiſitæ, ut conſtat in ratione dubitandi adducta ab initio quæſtionis n. 151. una enim ex præcipuis conditionibus ad eam requiſita eſt, quod obligatio ex merito operantis orta non fundetur in gratia, & liberali acceptatione remunerantis; hæc autem planè deficit in merito hominis apud Deum, ſiquidem fundatur in multiplici gratia ipſius Dei, ſcilicet, in collatione gratiæ iuſtificantis, & auxiliantis, & tandem in liberali, & gratioſa operum alias debitorum acceptatione; Item requiritur, ut id quod datur ex rigoroſa iuſtitia ita ſit ex bonis propriis ipſius creditoris, ut nullo modo ſit ipſius debitoris; & hæc etiam conditio (ſi à præcedenti diſtincta eſt) deficit in merito hominis apud Deum, quia opera noſtra ſunt ipſius Dei, ipſique innumeris titulis alias debita, & facta ex gratia actuali, & habituali liberaliter ab ipſo Deo conceſſa. Rurſus obiectum, vel materia iuſtitiæ commutativæ propriè dictæ eſt commutatio dati, & accepti ſecundum æqualitatem, & debitum; hęc autem palam deficit in iuſtitia inter hominem, & Deum reperta; hæc enim propriè exercetur cū translatione dominii, quod ſonat nomen ipſum commutationis, quando nimirum unus habens rem aliquam ſub pleno ſuo dominio, illam transfert in dominium alterius, talique iure privatur; at quando Deus confert homini gloriam, tali dominio non privatur quaſi illud transferens in hominem, & quando homo dat ſua merita Deo, non dat aliquid, quod verè ſuum eſſet, & non potius Dei, eo modo, quo requiritur ad rigorem commutativæ iuſtitiæ; Hinc etiam deducitur aliam quoque deficere conditionem ad iuſtitiam commutativam requiſitam, ut, ſcilicet, ſemper adſit contrapaſſum, ſeu repaſſio, quæ conſiſtit in hoc, ut ille, qui aliquid reddit ex iuſtitia, patiatur aliquod incommodum, ſcilicet, privationem rei redditæ, ſed hoc in Deo reperiri non poteſt, cum nequeat rei alicujus dominio privari. Demum, ut inquit Scotus *loc. cit.* ad iuſtitiam ſimpliciter dictam requiritur æqualitas ſimpliciter dantis, & accipientis, nempè ut quiſque ſit ſui iuris in rebus commutandis; item æqualitas dati, & accepti ac propterea inquit Ariſt. *loc. cit.* inter Patrem, & Filium, Dominum, & ſervum iuſtitiam ſimpliciter reperiri non poſſe, quia nec filius, nec ſervus eſt ſui iuris reſpectu Patris, & Domini; ſed creaturæ magis ſubſunt Deo, quàm Filius Patri, & ſervus Domino, & Deus plus tribuit creaturæ, quàm ei debeatur, cùm præmiet ultrà condignum; ergo ex defectu harum conditionum inter Deum, & homines vera, & propria iuſtitia commutativa reperiri non poteſt, nec rigoroſa commutatio quæ eſt talis iuſtitiæ materia; atque ideò Deus in retribnenda pro meritis mercede iuſtitiam commutativam propriè dictam exercere non poteſt, ſed tantùm ſecundum quid, quę proindè melius retributiva diceretur, vel præmiativa, quàm commutativa, ut dictum eſt *n.* 155. 168

In huius argumenti ſolutione, quod eſt præcipuum noſtrę mediæ ſententiæ fundamentum, diviſi ſunt Auctores ſecundæ ſententiæ, ut dixi *num.* 153. in ea referenda, qui enim eam in primo ſenſu defendunt, & ad juſtitiam propriè, & ſimpliciter dictam eas conditiones concurrere concedunt, ità eas declarant, ut abſque ulla imperfectione etiam divinę juſtitię cōvenire poſſint, ut Arriaga, Poncius, & alii. Itaq; Poncius *loc. cit.* ait ex defectu primæ conditionis in argumento indicatę rigorem 169

iuſtitiæ in Deo minimè impediri, accedente promiſſione, & pacto antecedenti ſolutionem, vel exhibitionem operis oneroſi; & licet promiſſio, & pactum ipſum ſit ſine dubio magnus favor, tamen cùm antecedit ſolutionem, vel exhibitionem operis, facit ut debeat implere promiſſionem, & ſervare pactum, non tantùm, ex fidelitate, ſed etiam ex iuſtitia rigoroſa; undè ſiquis v. g. deberet centum, & ſolveret quinquaginta antè pactum, & promiſſionem de acceptandis quinquaginta pro centum, utique non ſatisfaceret rigori iuſtitiæ, quia non obſtante illa ſolutione poſſet obligari ad ſolvendam reliquam partem; quod ſi creditor eſſet ea ſolutione contentus reliquam partem condonando, adhuc tamen ſolutio non fuiſſet ad rigorem iuſtitiæ ſufficiens; at ſi promiſſio, & pactum de acceptandis quinquaginta pro centum antecedit ſolutionem, talis ſolitio ſufficit ad rigorem iuſtitiæ, quia nullus iuſtitię rigor poteſt debitorem obligare ad maiorem, & ulteriorem ſolutionem; in propoſito autem promiſſio ex parte Dei de danda Vita æterna propter opera noſtra, licet ſi magnus favor, quia poſſet exigere maius prætium pro ea; tamen quia eſt promiſſio antecedens operis exhibitionem, debet ex iuſtitia rigoroſa implere promiſſionem, & ſervare pactum.

170 Negat præterea Poncius rigorem iuſtitiæ in Deo impediri ex defectu ſecundæ conditionis, quia quamvis omnia opera noſtra ſint Dei; quatenus poſſet ea à nobis ex aliis titulis exigere, & habent eſſentialem ab ipſo dependentiam; hoc tamen non obſtante, non exigit illa de facto, niſi ſub conditione præmii conferendi propter ipſa; Quod magis explicant alii Recentiores dicentes, quod hoc efficit promiſſio, ut Deus potens ex dominio univerſali exigere aliis titulis opera à creatura, hic & nunc non exigat niſi ſub conditione præmii conferendi propter ipſa; undè homo tunc benè operans, & Deo offerens opus illud ius verum in Deum acquirit. Hinc etiam negat talem iuſtitiæ rigorem impediri ex defectu tertiæ conditionis indicatæ, nempè translationis dominii; quamvis enim nequeat Deus renunciare dominio, quod habet in noſtras actiones, itaut non ſint ab ipſo dependentia, & talia, quæ poſſet impedire, ac deſtruere pro quocunque inſtanti; poteſt tamen ità renunciare dominio ſuo in illa, ut poſſit non exigere illa, niſi ob præmium propoſitum, & promiſſum; & de facto ſic renunciat dominio quoad omnes actiones non præceptas, & preceptas etiam, ſaltem pro tempore, quo non obligat præceptum. Negat prætereà rigorem iuſtitiæ impediri ex defectu quartæ conditionis, ſcilicet repaſſionis; ad hanc enim ſufficit, ut Deus det nobis aliquid ob opera noſtra, quæ alias non dediſſet; nec refert prorſus, quod ipſemet ſit Dominus illius, & quantum ſpectat ad iuſtitiam, non debet alio modo pati, quam dando aliquid. Negat tandem impediri defectu quintæ, quamvis enim nulla merita hujus vitæ ſint æqualia ullo modo ex natura ſua beatitudini, cum omnia illa ſint actus ex natura ſua longe imperfectiores illa; habent tamen ex promiſſione, & acceptatione Dei talem æquivalentiam; & hoc ſufficit, ut defectus huius conditionis non impediat, quin de facto Deus teneatur ex rigoroſa iuſtitia dare vitā ęternam iuſtis eam merentibus.

171 Cæterum conditiones rigoroſæ iuſtitiæ ſic explicatæ deſtruunt omninò rigorem iuſtitiæ commutativæ propriè dictæ; & hæc explicatio reducit difficultatem ad puram de nomine quæſtionem, ut fatetur quoque Poncius ipſe loc. cit. nam, ut à prima incipiamus conditione, ad hunc rigorem exigitur, ut debitum, & obligatio in debitore oriatur ex natura rei ratione dati, & accepti ſecundum æqualitatem quantitatis, iuxta leges neceſſariò dictantes, vel taxantes eiuſmodi æqualitatem ſecundum exigentiam rerum, quæ commutantur; non autem pręcisè ex liberalitate, ſeu liberali promiſſione ipſius debitoris, ut contingit in propoſito de noſtrorum meritorum retributione; ubi oritur ex voluntario contractu præcisè facto ex liberalitate retribuentis ſecundum leges à voluntate, & non ab alio legislatore poſitas; quarè cum dicitur munus commutativę iuſtitię eſſe conſtituere æqualitatem quantitatis dati, & accepti; ut hęc rigoroſa cenſeatur, ita intelligi debet, ut ęqualitas illa fiat ſecundum debitum ſimpliciter, & ex neceſſitate legis, cujus rectitudo non ſit poſita totaliter in voluntate retribuentis; & hoc plane colligitur ex parabola de operariis Math. 20. ubi redditio mercedis ex rigoroſa iuſtitia non fundabatur tantum in promiſſione Patris familias, & pacto cum eis inito de denario diurno, ſed in iuſtitia etiam & neceſſitate legis à Principe, vel Republica inſtitutæ; ut illa indicant verba *& quod iuſtum fuerit dabo vobis*; Quando igitur obligatio, & debitum fundatur totaliter in gratia, & liberali acceptatione remunerantis, & debitoris, rigor iuſtitiæ evaneſcit, & ſola ſervatur iuſtitia ſecundum quid, quæ potius dici debet retributiva, & præmiativa quàm commutativa. Et planè exemplum ſatisfactionis adductū de ſolvente quinquaginta pro centum, hoc totum clarè oſtendit: quis enim non videt hanc non eſſe ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ, etiam ſi promiſſio de acceptandis quinquaginta pro centum ſolutionem antecederet, cum non interveniat æqualitas in quantitate, dati, & accepti? Et quamvis promiſſio ſolutionem antecedens faciat, ut promittens implere debeat promiſſionem, & ſervare pactum nec ullus iuſtitiæ rigor poſſit obligare debitorem ad ulteriorem ſolutionem; ex hoc tamen non ritè infertur, quod talis ſolutio quinquaginta pro centum dici poſſit ſufficiens ad rigorem iuſtitiæ; nam ſi debitor ſolveret quinquaginta ante pactum de illis acceptandis pro centum, & poſtea creditor contentus eſſet ea ſolutione reliquam partem condonando; neque adhuc obligari poſſet ad ulteriorem ſolutionem ex iuſtitia, & tamen in hoc caſu Poncius concedit non intervenire iuſtitiæ rigorem, nec ſolutionem, rigoroſam dici poſſe; ergo ob eandem rationem neque talis in eo caſu dici poterit; parum enim refert, quod promiſſio, de acceptandis quinquaginta pro centum præcedat ſolutionem, vel ſubſequatur, ſi non intervenit æqualitas ex natura rei dati, & accepti, quę ad rigoroſam iuſtitiam omnino requiritur; nam adhuc abſolutè loquendo potuiſſet creditor valde plus exigere à debitore, eſtò ex ſua liberalitate, & benignitate non amplius, quàm, quinquaginta exigere velit, de quo ex profeſſo dicemus Diſputat. ſequen.

172 Prætereà falſum eſt, quod pro ſalvanda in præſenti ſecunda conditione dicebatur, dominium poſſe per promiſſionem de non exigendo impediri, quia licet Deus de facto ex aliis titulis opera noſtra non exigat, abſolute tamen illa poteſt exigere, & ideo adhuc abſolutum retinet eorum dominium, undè nulla promiſſio poteſt eſſe talis virtutis, ut abdicet à Deo ſupremum dominium, quod habet in creaturas, & earum actus; quia ut aliquis ſit perfectè Dominus in actu primo alicuius rei, ſufficit, ut poſſit uti illa re ſine iniuria alterius, quam poteſtatem ſemper Deus habet; undè ex hoc, quod opera noſtra modo Deus non exigat ex aliis titulis, ſed tantum ſub conditione præmii conferendi propter illa, ſolum inferri poteſt, quod illud univerſale dominium modò in actu ſecundo non exerceat, non autem quod illud verè non habeat in actu primo. Ex quo etiam conſtat falſum eſſe, quod addebatur pro ſalvanda tertia conditione, ſcilicet dominii translatione; quamvis enim de facto non exigat Deus opera noſtra ex aliis titulis, ſub quibus ſunt ei debita, non propterea cenſendus eſt tali dominio renunciaſſe, quia etiam in humanis promiſſio de re aliqua non transfert dominium; & poſt promiſſionem non minus Deus, eſt Dominus noſtrarum actionum, nec minori, aut inferiori titulo, vel diverſo quàm anteà; nam tituli Dei, & domini æquales non ſunt in Deo, nec unus magis, quam alter minui poteſt, aut reſtringi; ergò per quamcunque promiſſionem nequit Deus domini, & dominii ius exercere, vel à ſe abdicare, vel in totum vel in partem, Hinc etiam patet falſum eſſe, quod dicebatur pro quarta conditione, ſcilicet, repaſſione, quod nihil nimirum referat, quod Deus ſit dominus noſtrarum actionum, imo hoc refert multum per omnem modum, alioquin Deus non eſſet, quia opus quodcunque noſtrum etiam poſt quamcunque promiſſionem eſſentialiter adhuc à Deo dependet, & conſervatur, & verè eſt Dominus eius; ut prius; Denique ſi opera noſtra non ſunt ex natura rei æqualia beatitudini, ſed tantum ex divina acceptatione, ut reſpondens fatetur, iam conſtat ex defectu quintæ conditionis divinam iuſtitiam in retribuenda mercede non eſſe rigoroſam, quia æqualitas, quam hæc conſtituit inter creditorem & debitorem, conſurgit ex natura dati, & accepti, & non fundatur omninò in gratia & liberalitate retribuentis ut contingit in propoſito.

*Secunda ſolutio examinatur.*

173 Artiaga verò, & alii tractatu de Iuſtitia Dei in ſolutione propoſiti argumenti alia gradiuntur via; Quia namque viderunt totam pendere difficultatem ex illa tertia conditione, quæ erat iurium alteritas inter contrahentes, & translatio dominii, hæc ſiquidem conditio videtur omninò neceſſaria ad iuſtitiam commutativam rigoroſè, & propriè dictam, hæc enim propriè exercetur cum translatione dominii, ut nomen ipſum commutationis importare videtur; talis autem iurium alteritas deficit inter nos, & Deum, cum nihil ei dare poſſimus, in quod ipſe perfectiſſimum ius, & dominium non habeat, quodque perfectiſſimo modo ſuum nō ſit, quo expoliari dominio eſt prorſus impoſſibile; Videntes, inquam, totam huius rei difficultatem ex hac conditione pendere, hoc totum gratis conceſſerunt, & dixerunt quod Deum non poſſe a ſe tale abalienare dominium, nequaquam impedire, quin adhuc inter Deum, & hominem poſſit vera, & rigoroſa juſtitia verſari, quia dari poteſt dominium duorum in ſolidum in unam, & eandem rem; ergo ex hoc capite poterit optimè Deus retento ſuo dominio, communicare ſimul illud homini, & ſic ex iuſtitia teneri dare rem illa homini, cui jus in eam communicaſſe ſupponimus, non illud à ſe alienando. Quod autem poſſit dari dominium eiuſdem rei in ſolidum apud, duos probant, quia ſicut dari poſſunt duo debitores eiusdem rei in ſolidum ut paſſim experimur, ità pariter dari duos creditores non repugnabit: Tùm, quia quando

præ-





præſertim iura ſunt alterius rationis, tale dominium duorum in ſolidum omninò negari non poteſt, nam Princeps, & Reſpublica ius habent in bona civium particularium, quód vocant ius altum; è contrà cives particulares habent dominium privatum eorundem bonorum, quod vocant ius baſſum; ergo tale dominium duorum eiusdem rei in ſolidum rupugnare non videtur, & ità dicendum erit de dominio Dei, & creaturæ in actus noſtros vitæ æternæ meritorios; Tùm denique quia, ſi Petrus in extrema neceſſitate conſtitutus panem Pauli comederet, non faceret ei injuriam, quia in tali caſu habet jus in panem illum, non ſecus ac Paulus ipſe; & nota hic ſermonem eſſe de dominio totali, & adæquato, non autem de partiali, & inadæquato, quod à Juriſtis vocatur dominium pro indiviſo, ut quando inter fratres bona paterna ſunt indiviſa.

174 Sed duo dominia creata adæquata, ac in ſolidum, eſſe invicem incompoſſibilia communis fert opinio, ut habetur ex lege *Poſſideri ex contrario ff. de acquirenda, vel admitenda poſſeſſione*; & ratio eſt, quia vel neuter diſponere poſſet abſque conſenſu alterius, vel quilibet altero invito: utrumque autem eſt contra rationem, & perfectionem dominii, quod dicit ius utendi re in omnem uſū ſolo ſuo conſenſu. Neque oppoſitum convincitur exemplo allato de iure alto, & baſſo Reipublicæ, ac civium particularium; nam intantùm Princeps dicitur ius altum habere in bona civiū, inquantum urget neceſſitas publicæ commoditatis, in quo caſu civis particularis ius non habet in illis bonis, itaut poſſit illi uti ſine Principis iniura; tali vero ceſante neceſſitate nō habet Princeps ius altum in illa bona, nec illis uti poteſt abſque civium iniuria, adeout in quo caſu unus habet dominium illorum bonorum, alter non habet, undè ſunt incompoſſibilia etiamſi ſint alterius rationis; ex quo patet utriuſque dominium eſſe imperfectum; at Deus habet ius adeò altum, & illimitatum, ut poſſit ſemper, & pro libito uti quacumque re creata ſine injuria creaturæ, atque ideo admittere nequit ſecum alium eiuſdem rei perfectum dominum, & ex vera, & perfecta iuſtitia. Nec etiam currit aſſumpta paritas de pluribus debitoribus eiuſdem rei in ſolidum, hi enim intantum dicuntur omnes debitores in ſolidum quatenus quilibet in defectu aliorum tenetur ad totum; quod ſi alii reſtituant, non tenetur ad totum, ſed ad partem duntaxat debiti; ex quo patet teneri omnes ad totum debitum diſiunctim, non conjunctim at ſuppoſito ſemel duorum dominio in ſolidum æquè conveniret huic, & illi, & omnibus, & ſingulis, non tantùm diſiunctim, ſed etiam copulatim; Quapropter duo debitores in ſolidum ſe habent, ut duæ cauſæ ſufficientes ad eundem effectum diſiunctim producendum, quas dari minimè repugnat, at dominium in ſolidum penes duos conſtitueret duas cauſas totales reſpectu eiuſdem effectus conjunctim, quas repugnare conſtat ex dictis in Phyſica. Nec tandem urget exemplum de Petro extremè egenti, quia in illo caſu non datur ius in eo in panem Pauli titulo iuſtitiæ, ſed neceſſitatis, quod quidem ius verè; & propriè non conſtituit Petrum dominum illius panis, ſed neceſſitas conſtituit panem, tanquam rem communem, quæ ſit primò occupantis, undè ſi Paulus in tali caſu neceſſitatis panem Petro denegaret, non peccaret contrà inſtitiam, ſed contrà charitatem.

175 Verùm Arriaga *tom. 1. diſp. 30. ſect. 2.* Hurtad. de Incarnatione diſp. 12. ſect. 5. & Cardinalis de Lugo ibidem diſp. 3. ſect. 1. & alii Recentiores contendunt in creatis pro uno inſtanti poſſe eiuſdem rei reperiri dominium in ſolidum pęnes duos, licet non pro tempore ſequenti, & ponunt caſum præcipuè in Angelis, qui inſtantanee loquuntur; ſit ve. gr. Michael dominus equi conſtitutus à Deo, quem equum poſtea donet Gabriel, certè poteſt velle donare in inſtanti, & in eodem poteſt alter acceptare; quo caſu dato, uterque erit in illo eodem inſtanti dominus equi, Michael quidem, quia donat, & conſequenter exercet dominium, quod habet ſuprà equum, Gabriel verò, qui aceptat, nam tunc producitur in eo dominium, ſeu communicatur, & ſicut res exiſtit in eodem inſtanti, in quo producitur ita & dominium; ergo ambo ſunt in eodem inſtanti domini; in tempore verò ſequenti ſolus Gabriel eſt dominus, & Michael, qui donavit, non manet amplius dominus, quia in eo tempore cenſetur dominium in Gabrielem translatum, undè illud inſtans erit ſimul ultimum eſſe dominii Michaelis, & primum eſſe dominii Gabrielis; Ex quo ſequitur à fortiori idem dicendum de Deo, & creatura, quod poſſint habere dominium in ſolidum eiuſdem rei, nam datur in creaturis jus adæquatum, & perfectum in aliquam rem datur; quo, jus in Deo reſpectu eiuſdem rei, ergo ambo ſunt ſimul domini eiuſdem rei. Hinc reſpondet Arriaga ad communem Juriſtarum adductam auctoritatem eos non conſideraſſe metaphyſicos caſus unius inſtantis, ſed abſolutè tempus notabile, in quo fatetur, & ipſe non reperiri tale dominium apud duos, ſed tantùm pęnes illum, qui rem accepit.

176 Nihilominus ratio allata probat, nec etiam pro unico inſtanti poſſe dari dominium in ſolidum eiuſdem rei pænes duos, quia dominium creaturæ reſpectu alicuius rei eſt poteſtas utendi illa licitè ſine iniuria alterius, ſeu quacumque alia creatura invita; quapropter nequeunt duo ſimul eiuſdem rei perfectum habere dominium, alioquin altero eorum invito poſſet alius licitè ea re uti, poſſetque dari bellum iuſtum ex utraque parte, quod implicat; Undè in caſu poſito ſequeretur Michaelem in illo inſtanti eſſe, & non eſſe dominum equi; eſſet quidem dominus, ut ſupponitur; non eſſet vero, quia Gabriel pro libito poſſet uti equo independenter à Michaele, quia in eodem inſtanti Gabriel eſt abſolutus dominus per acceptationem; Ratio autem à priori huius implicantiæ deducenda eſt ex dictis diſp. 8. Phyſ. q. 3. art. 2. ubi oſtenſum eſt etiam de potentia Dei abſoluta non poſſe eundem, effectum ſimul, & ſemel pendere à pluribus cauſis totalibus, quia ſequeretur, quod penderet eſſentialiter ab una, & non penderet, quod implicat; ita enim ſe habet res in propoſito, quod dominium in ſolidum penes duos ſe haberet perindè, ac duæ cauſę totales reſpectu eiuſdem effectus, ut ſuperadictum eſt.

Ad argumentum verò illud Recentiorum de Michaele equū donante, & Gabriele illum acceptante in eodem inſtanti, variæ ſunt reſponſiones; Aliqui negant Gabrielem in eo inſtanti, eſſe dominum equi, quia ut dominium acquirat, debent præcedere donatio, & acceptatio, & conſequenter, quia cauſa præcedit effectum, in illo inſtanti, in quo eſt donatio cum acceptatione, non intelligitur adhuc cauſatum in Gabriele dominium, ſed tantùm in tempore ſequenti. Alii è contra Michaelem eſſe dominium equi pro illo inſtanti, nam ex ſuppoſitione, quod illum donet Gabrieli, non eſt dominus, quia ut ſic, nec poteſt diſponere, nec alteri donare citrà iniuriam Gabrielis, & ideò dicunt, quando uſus dominii eſt deſtructivus illius, non poſſe, nec debere eſſe in eodem inſtanti uſum, & dominium; ſed ſufficere ad donandum, ſi in inſtanti præcedenti ego fuerim dominus rei, etiam ſi non ſim in inſtanti donationis. Alii tandem dicunt, in illo eodem temporis inſtanti eſtò ambò dici poſſint domini, tamen dominium propriè non eſſe ſimul in ambobus, ſed prius natura in uno, ſcilicet, in priori natura donationis, in altero verò in poſteriori natura poſt donationem; & ſic dominium erit in Michael in uno priori naturę, in quo non eſt in Gabriele, in poſteriori verò erit in Gabriele, & non in Michaele, quo pacto ſalvare prætendunt, quod neque in eo caſu detur dominium perfectum in ſolidum id utroq; quod autem detur quodam modo imperfecto, non eſt inconveniens, quia eſt veluti in fieri, influxu, & tranſeunter. 177

Nulla tamen harum ſolutionum ſatisfacit, ſi benè perpendantur, non quidem prima, quia quicquid modò ſit, an acceptatio requiratur ad translationem dominii, ut cauſa ſaltem partialis; vel ut pura conditio ſine qua non; falſum eſt poſita ſemel donatione, & acceptatione non cauſari in eodem inſtanti dominium in Gabriele, quod eſt earum effectus, quia ut conſtat ex dictis diſp. 8. Phyſic. quæſt. 2. art. 2. ad cauſalitatem effectus non eſt neceſſaria prioritas durationis, ſeù quod cauſa præcedat effectum tempore, ſed ſufficit prioritas naturæ, ut patet de Sole, & lumine, quod cenſetur eius effectus, etiamſi ſit illi coævum, ob ſolam illius naturæ prioritatem; ergo ſi dominium eſt effectus donationis, & acceptationis, poterit in eodem temporis inſtanti eſſe in Gabriele, tanquam effectus earum ob ſolam earundem naturæ prioritatem ad dominium. Nec etiam ſatisfacit ſecunda, nam falſum pariter eſt donationem illam dominium tollere in Michaele, & eſſe uſum dominii deſtructivum, etenim tantum abeſt, quod actus ſecundus ſit deſtructivus primi, quod potius illum omninò ſupponit, & perficit; cùm igitur donatio ſit exercitium, & actus ſecundus dominii, quod reſpectu eius ſe habet veluti actus primus, vanum eſt prorſus dicere, quod dominium tollatur in ipſo donationis inſtanti, cùm potius per ipſam actuetur, & exerceatur. Tùm quia falſum eſt etiam quod addebatur, ſufficere dominium præcedens in Michael, ut in hoc inſtanti donare poſſit, ſicut enim dictum in Phyſic. loco citato, non ſufficere ad operandum, quod cauſa phyſicè extiterit in inſtanti immediato antè operationem, ſed neceſſario exiſtere debet, quod eſt operatio; ità in propoſito quando dominium operatur, tunc præſertim exiſtere neceſſe eſt, & non ſufficit antea extitiſſe; neque quoad hoc ullum ſufficiens diſcrimen aſſignari poteſt inter cauſam phyſicam, & moralem, ut enim Dominus, vel Princeps ius habeat in ſervum, vel ſubditum, non ſufficit, quod anteà fuerit Dominus, vel Princeps illius, ſed actu talis eſſe debet, quando ei præcipit. Nec denique ſatisfacit tertia ſolutio, quia exiſtentia rei non menſuratur per ſigna naturæ, ut dixi *diſputat.* 10. Logicæ *quæſtion.* 2. *art.* 1. Non enim illa ſigna diſtinguimus, ut ſignificemus rem exiſtere in una inſtantis parte, & in alia non; ſed tantùm per diverſa naturæ ſigna indicare volumus aliquid in eodem inſtanti reali ſe habere, ut cauſam, verbi gratia, Solem; aliud verò non quidem, ut cauſam, ſed ut effectum, ut verbi gratia, lumen; aut illud eſſe independens ab iſto, non è contrà. Tùm quia ſic reſpondendo admittitur ſimul in eodem ſubiecto privatio, & forma in eodem temporis inſtanti, 178



licet

licet diverſis naturæ, nempè dominium, & privatio ejuſdem, quod planè implicare jam dixi *diſp.* 4 Phyſ. *qu.* 4. tam permanenter, & in eſſe quieto, quàm tranſeuntes, & in fluxu.

179 Meliùs igitur occurritur argumento Recentiorum poſito ſub *n.* 175. cum P. Belluto Collega meo *diſp.* 7. de Incarnatione *q.* 5. *art.* 1. ubi pro dignitate tractat hanc difficultatem de dominio duorum in ſolidum eiuſdem rei; occurritur, inquam, In quolibet dominio perfecto, & adæquato duplex reperiri dominium, nempè dominium rei, quod eſt facultas utendi ipſâ re, & dominium iuris eiuſdem rei, quod eſt facultas utendi illa facultate, quæ duo valdè inter ſe differunt, ſicut diverſa ſunt obiecta circa quæ verſantur; ut verbi gratia beneficium eſt facultas utendi redditibus alicuius Eccleſiæ, & poteſt dici ius rei; poteſtas autem conferendi tale beneficium poteſt dici dominum iuris; habens verò poteſtatem conferendi non idcircò dicitur dominus redituum, niſi actione immanenti ſibi ipſi tale conferat beneficium, quod ſi actione tranſeunte alteri confert, dicitur utique dominus beneficii, quia poteſt conferre, non tamen reddituum, niſi mediatè, & remotè; undè tunc dominium iuris infert dominium rei in eodem ſubiecto, quando dominus actione veluti immanenti conſervat in ſe ius rei, non verò quando actione tranſeunti in alia perſona illud producit. Sic pariter cum utor equo, exerceo facultatem, & ius, quod immediatè habeo in æquum; at quando dono æquum, propriè & immediatè dominium iuris exerceo, quia immediatè non dono equum, ſed ius, quod habeo in equum per quod donatarius fit dominus equi, donatio enim eſt præcipuè translatio dominii, & iuris rei; Qua præmiſſa doctrina reſpondet Bellutus ad argumentum in inſtanti donationis, & acceptationis non eſſe idem ius in donatore, & donatorio; nam in donatorio eſt quidem ius rei, quod in donatore non adeſt, quia hoc ius à ſe donator abdicat, & ponit in donatario; eſt tamen in ipſo dominium iuris, quia hæc abdicatio eſt exercitium talis dominii, quod dominium ſtatim perit, quia ius quaſi actione tranſeunte productum per donationem in donatario non eſt amplius in poteſtate donatoris; ſicut antea; tunc enim quaſi actione immanenti in ſe ipſo conſervabat illud ius per volitionem ſaltem interpretativam retentionis illius iuris; Itaque in illo inſtanti donatarius eſt dominus rei, non autem iuris, & immediatè poſt eſt dominus utriuſque, quia conſequitur quaſi per quandam ſequelam, & emanationem in donatario ad propoſitionem donationis, & acceptationis.

180 Quod ſi neque hæc reſponſio placeret, eſtò valdè ſubtilis, & erudita, quia extincto dominio rei in domino videtur quoque extingui ſtatim, & eodem contextu dominium iuris; quia etiam ſi concedatur hoc iuris dominium eſſe à dominio rei diſtinctum, quod forte non omnes concedent, adhuc tamen dominium iuris videtur eſſe ità connexum cum dominio rei, ut hoc pereunte neque per unicum inſtans poſſit illud conſiſtere; tunc dicendum, quod cum duo dominia creata adæquata, & in ſolidum ſint invicem incompoſſibilia circà eandem rem, ſicut duæ formæ diſparatæ circa eandem materiam, ob rationem allatam; hæc res explicari debet eodem prorſus modo, quo explicari ſolet in phyſicis generatio, ſeu introductio formæ novæ in materia, & corruptio, ſeù expulſio præcedentis; hæ ſiquidem duæ mutationes acquiſitiva, & deperditiva in eodem prorſus inſtanti exercentur; verum ad evitandum, quod illæ duæ formæ non ſint ſimul etiam pro uno inſtanti, ita explicatur hoc inſtans, ut ſit uni formæ intrinſecum, & alteri extrinſecum, dicendo, verbi gratia, forma ignis nunc eſt in hac materia, & immediatè anteà non erat, & è contra forma ligni nunc non eſt in hac mater, & immediatè antea erat; Cùm ergo donatio, & acceptatio in propoſito ſe habeant, ut mutatio deperditiva, & acquiſitiva, nam eſt mutatio deperditiva dominii ex parte donantis, & acceptatio eſt acquiſitiva dominii ex parte donatarii, cum dicitur in argumento, quod illud idem inſtans, in quo exercentur donatio ex parte donantis, & acceptatio ex parte donatarii, eſt ſimul ultimum eſſe dominii Michaelis donantis, & primum eſſe domini Gabrielis acceptantis; hoc, inquam, ità explicandum eſt, ut illud inſtans ſit dominio donantis intrinſecum, quia donatio eſt exercitium, & uſus talis dominii, & dominio donatarii extrinſecum; adeout ſit verum dicere, nunc Michael eſt dominus equi, & immediatè poſt non erit, nunc Gabriel non eſt dominus equi, & immediatæ poſt erit; & planè admiſſa ſemel incompoſſibilitate duorum dominiorum in ſolidum, nec aliter, nec alio modo eſt reſolvenda hæc difficultas, quam illa de inceptione novæ formæ, & deſitione antiquæ in materia pro eodem inſtanti, neque altius myſterium video in argumento illo adeò à Recentioribus exaggerato.

*Tertia ſolutio expenditur.*

181 Denique alio adhuc modo ad fundamentum noſtræ mediæ ſententiæ adductum *num.* 168. occurrunt Suarez, & alii Defendentes ſecundam ſententiam extremam in ſecundo ſenſu iam explicato *n.* 153. gratis enim concedunt iuſtitiam inter Deum, & hominem intercedentem non habere omnes conditiones in noſtra iuſtitia commutativa repertas, nam aliquæ imperfectionem involuunt, & ei conveniunt, ut ad creaturas contrahitur, non autem ut communis eſt Deo, & creaturæ; undè inferunt, ut ibi dicebamus, iuſtitiam Dei non eſſe eiuſdem rationis cum commutativa noſtra, ſed altiori quadam ratione, & ſecluſis imperfectionibus, ita tamen ut retineat adhuc veram, & propriam commutativæ iuſtitiæ rationem analogicè communem ad divinam, humanamque iuſtitiam; Dicunt igitur eas conditiones requiri quidem inter homines, non verò reſpectu Dei, quia in Deo ponenda eſt iuſtitia ablatis imperfectionibus, eſt autem imperfectio creditoris, vel debitoris, ut aliqua bona ſint, quorum ipſe non ſit dominus; item ut in commutatione dati, & accepti fiat translatio dominii; ac pariter, quod donans, ſeù retribuens aliquid patiatur aliquod incommodum in tali donatione, vel retributione, quod non reperitur in Deo, cum ipſe ratione univerſalis ſupremi dominii nequeat à ſe abdicare dominium alicuius rei, & ideò nequit in ipſo habere locum translatio dominii, ac repaſſio iſtæ igitur, ac conſimiles conditiones, quod quando quis ius alteri tribuit, ſe privet dominio rei, quam tribuit, in nobis proveniunt ex imperfectione, & limitatione dominii; Deus autem tribuendo hoc ius creaturæ, nullo dominio privatur, nec perfectione eius, nam dominium eius univerſaliſſimum eſt, & altioris ordinis quod non excludit propriũ dominiũ creaturæ, ſicut univerſalitas cauſalitatis divinæ non excludit cauſalitatẽ creaturarũ.

182 Sed Contrà hanc quoque tertiam ſolutionem inſtatur, quia quando imperfectiones quæ in aliqua re reperiuntur, ſignificantur formaliter per vocem illam, non poteſt vox illa propriè, & ſimpliciter alteri tribui, niſi ibi formaliter ſint tales imperfectiones; v.g. quia animalitas formaliter materialitatem ſignificat, eo ipſo quod in Deo materialitas non reperitur, non poteſt dici formaliter habere animalitatem, etiamſi includat quicquid perfectionis eſt in animalitate ſecluſis imperfectionibus; ſed iuſtitia commutativa ex ſuo formali conceptu, & ex ipſius vocis ſignificato illas imperfectiones includit; ergo dici nequit in Deo reperiri propriè, & ſimpliciter his imperfectionibus ſecluſis; maior patet, probatur minor, quia iuſtitiæ ſpecialis propriè dictæ obiectum eſt ius alterius, & munus eius eſt alteri reddere ſuum ius, quod debet intelligi de iure propriè dicto, & ſtrictè ſumpto; aliàs non diſtingueretur iuſtitia propriè dicta à fidelitate, & aliis virtutibus iuſtitiæ annexis, quæ etiam aliquale ius reſpiciunt, & illud ſuo modo alteri reddunt, ſed iuris correlativum eſt debitum, atque ità iuris ſtrictè ſumpti correllativum eſt debitum ſtrictè ſumptum; ergo à primo ad ultimum iuſtitia propriè dicta ex ſuo conceptu formali debitum ſtrictè ſumptum ſupponit in eo, in quo eſt, & ius ſtrictè ſumptum in altero, ad quem eſt; Cùm igitur ex dictis nequeat in Deo admitti debitum ſtrictè ſumptum nempe, in ipſo exortum ex natura dati, & accepti à creatura, ac veluti ab ea ſibi impoſitum, ſed tantum ex ſua promiſſione, & liberalitate; neque è contra in creatura admitti poſſit ius ſtrictè ſumptum reſpectu Dei, quaſi ex propriis bonis eum obligando, conſequens eſt, ut in Deo nequaquam ſit iuſtitia propriè, ſpecialiter dicta reſpectu creaturæ, ſed tantum quid, & per quãdam ſimilitudinem, quæ proindè ad evitandam de nomine quæſtionem ſatius diceretur retributiva, vel præmiativa, quàm commutativa, ut dictum eſt num. 155. & 168.

183 Comfirmatur, quia non intelligitur propria, & formalis ratio iuſtitiæ commutativæ ſimpliciter acceptæ, non intellecto iure ſimpliciter dicto, quod ſit alteri reddendum ex neceſſitate legis, ut ſervetur æqualitas quantitatis orta ex natura dati, & accepti, & non tantum fundata in gratia, & liberalitate retribuentis; ſed nullum reperitur in creaturis ius proprium ſimpliciter dictum Deum obligans ad illud ſervandum ortum ex natura dati, & accepti, ſed tantùm ex ſua liberalitate, & promiſſione; ergo nulla eſt ponenda in Deo iuſtitia commutativa reſpectu creaturæ propriè, & ſimpliciter dicta; Maior patet, quia iuſtitia talis appellatur, quale eſt eius formale obiectum, quod eſt ius proprium in ordine ad alterum; quare ſi hoc ius non eſt propriè; & ſimpliciter tale, hoc eſt, ſervandum ex neceſſitate legis, cuius rectitudo non ſit poſita totaliter in voluntate retribuentis, neque iuſtitia pariter erit propriè, & ſimpliciter dicta; Minor vero conſtat ex dictis nu. 138. & ſeq. ubi probavimus Deum non eſſe ſimpliciter, & propriè debitorem, niſi bonitati ſuæ, creaturis verò eſſe tantum debitorem ex liberalitate ſua ex Scoto 4 *diſtinct.* 46. *quæſt.* 1. in fine, quia omnia creaturæ opera ſunt aliis titulis ei debita, ex quibus poſſet illa adſumere abſque obligatione alicuius mercedis retribuendæ; tum quia prior eſt Deus in largitione ſuorum donorum quam creatura in exhibitione debiti honoris per verum cultum; ut docet Apoſtolus Roman. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei*; tùm tandem quia licet homo homini poſſit ſola operis, & obſequii efficacia inducere obligationem retribuentis, Deo tamen non poteſt, niſi ipſe Deus promiſſione ſua ſe debitorem efficiat, & gratiam largiatur; undè opera hominis dignitatem accipiant, & æqualitatem ad cœleſte præmium.



184 Reſpondent obligationem ad reddendum ius ſuum alteri ſecundum æqualitatem quantitatis dati, & accepti non tantùm derivari poſſe ex natura dati, & accepti præciſè, ſed etiam ex liberali promiſſione, & pactione per voluntarium contractum, neque enim pactum tollit meritum eſſe de rigore iuſtitiæ propriè dictæ, ut patet in operariis vineæ, qui de rigore iuſtitiæ meruerunt denarium, & tamen præceſſit conventio facta inter ipſos, & Patremfamilias, ſi enim non conveniſſent, Paterfamilias non teneretur ex rigore iuſtitiæ reddere denarium; Imò aiunt hoc modo etiam inter dominum, & ſervum, patrem, & filium, nempè ex pacto conſurgere ius, debitumque iuſtitiæ, adeò ut ſi dominus ſervo, pater filio, pro obſequio aliàs debito iure dominativo, & paterno, promittat mercedem, & ſervus, ac filius acceptet promiſſionem, repromittatque fidele obſequium; iam dominus ſervo, & pater filio debito iuſtitiæ obligatur, ac viciſſim ſervus domino, filius Patri, non iam tantùm debito obedientiæ, & pietatis, ſed etiam iuſtitiæ debito obſtringatur; quia compromiſſionis ſervo, & filio communicatur proprium dominium ſuarum actionum, ſeu obſequiorum, & quantitas, ac qualitas obſequii, & mercedis taxatur.

Qua etiam ratione dicunt, quod licet inter Patrem, & filium abſolutè conſideratos nequeat eſſe iuſtitia verè, & propriè dicta, poteſt tamen eſſe, ſi filius ſit emancipatus, vel ſi habet aliqua bona, quorum ſit dominus, qualia ſunt bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia; & idem dicunt de ſervo, ſi de licentia domini proprium habeat peculium, ſi enim facta tali ſuppoſitione aliquem celebrarent contractum cum Patre, vel cum domino ex illis bonis, re vera Pater, aut dominus ex iuſtitia tenerentur reddere æquale accepto à filio, vel ſervo; Ità ergo ſe etiam ſe habebit Deus in ordine ad homines ſuppoſita ipſius promiſſione, & quod ipſi præſtent obſequium æquale mercedi, nam homo iuſtus habet ſe quaſi filius emancipatus, aut ſervus manumiſſus habens proprium peculium, eo quod habeat verum dominium ſuorum operum, quibus meretur apud Deum.

185 At neque hæc reſponſio ſatisfacit; Falſum enim eſt obligationem ad reddendum ius ſuum alteri ſecundum æqualitatem dati, & accepti derivari poſſe ex ſola promiſſione, & pactione per voluntarium contractum, hancque ſolam ſufficere ad conſtituendum in tali dato, & accepto iuſtum, ſeu æquum commutativum ſimpliciter, nam ad hoc requiritur, ut inter datum, & acceptum intercedat æqualitas ſive phyſica, ſivè mortalis in re fundata, & iudicio prudentis definita; quod evidenter deduxi ſupra *n.* 171. ex eadem parabola de operariis Matth. 20. ubi redditio mercedis ex iuſtitia commutativa vera, & propria, licet exigeret promiſſionem Patris familias, eiuſque conventionem cum operariis, non tamen præciſè in ea, ſed etiam in lege iuſta fundabatur à Principe, vel Republica conſtituta, ut indicant illa verba, *& quod iuſtum fuerit dabo vobis*.

Confirmatur, quia ſi iuſtum, & æquum commutativum aliquam non requirerent æqualitatem in natura rei fundatam, tunc leges humanæ medium iuſtitiæ, ſeu æquum, & iuſtum, in materia contractuum taxantes, at conſtituentes, poſſet in quacumque materia unum, & idem medium conſtituere, nec unquam poſſent eſſe iniuſtę; at hoc eſt falſum, quia iniuſtæ eſſe poſſunt, niſi tale medium conſtituant, quod in natura rerum commutandarum aliquo modo fundetur, & quod prudentum iudicio phyſicam, aut moralem æqualitatem conſtituant. Quarè ad ſummum, concedi poteſt ex Scoto loco citato ex liberalitate Dei, vel eius promiſſione facta ſecundum leges à ſua voluntate, præfixas, in eo reperiri aliquam iuſtitiæ rationem, non tamen ſecundum debitum iuſtitiæ ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; alioquin non poſſet Deus ſua abſoluta potentia oppoſitum quoque iuſtè facere; quod Doctor explicat exemplo Domini liberalis comparatione ſervi facientis ſemper, quod ſuum eſt; quibus verbis indicavit, quod eſtò inter dominum, & ſervum manumiſſum, & patrem, ac filium emancipatum, poſſit cadere iuſtitia, ſi adſit aliquod pactum liberum ex parte domini, & hoc ſufficiens ſit ad inducendam aliquam iuſtitiæ obligationem, non tamen rigoroſæ, & propriè, ac ſimpliciter dictæ.

186 Confirmatur, quia neque adhuc inter Deum, & hominem talis, ac tanta poteſt intercedere iuſtitia, qualis, & quanta intercedit inter Patrem, & filium emancipatum, & Dominum ac ſervum manumiſſum; etenim non promiſſione, & pacto utcumque conſtituitur filius emancipatus ſui iuris, ac ſervus manumiſſus, ſed tali promiſſione, & pactione, quæ virtute contineat quandam partialem emancipationem, vel manumiſſionem, hoc eſt, quatenus Pater filium, & dominus ſervum faciunt ſui iuris in illis actionibus, ſeu obſequiis, pro quibus de mercede paciſcuntur; At Deus neque ex toto, neque ex parte poteſt iuri ſuo paterno, & dominativo, quod ſuper creaturas habet, renunciare, nec creaturam quoad ulla obſequia à tali iure eximere, ergo &c. Maior patet, probatur minor, quia univerſale ius paternum, ac dominativum ab eo alienari non poteſt, neque diminui, cùm fundetur in eſſentiali dependentia creaturæ ab illo, in humanis verò ius paternum & dominativum ideò alienari poteſt ab homine, quia eſt privatum, & limitatum, neque fundatum in eſſentiali dependentia filii à Patre, Domini à ſervo, ſed in iure gentium, aut civili ſtatuente modum, & terminos ſervitutis, ac patriæ poteſtatis; quod etiam de iure paterno regitivo notat Smiſing. debere intelligi, nam ſi ſermo ſit de iure honoris paterni, quod habet Pater in filium, ut ab eo honoretur, non poteſt à Patre alienari; Nec Pater illi cedere, quia illa filii obligatio eſt iuris naturalis fundati in naturali origine filii à Patre, cui iuri nequit Pater renunciare, nec credere, atque ideò filius etiam emancipatus adhuc tenetur honorare parentem; undè huic iuri aſſimilatur ius dominativum; & paternum Dei in creaturas, non autem iuri paterno regitivo, cui Pater renunciat in filii emancipatione; Ex quo conſtat exemplum de ſervo manumiſſo, & filio emancipato non eſſe ad rem.

187 Demum hoc totum fatetur Suarez ipſe *lib.* 12. de merito *cap.* 30. *num.* 34. dùm inquit, quod licet ſuppoſito pacto, & conventione ex parte Dei, iuſti per ſua merita verum iuſtitiæ ius ad præmium acquirant; Nihilominus illud ius deficit ab illo iuſtitiæ iure, quod inter homines reperitur, quia fundatur in operibus, quæ magis ſunt ipſius Dei, quam hominis merentis, nam Deus illa vult eſſe merita in nobis apud ipſum, quæ ſunt ipſius dona iuxtà illud Auguſt. *Deus in nobis ſua dona coronat*, & ità ſunt dona eius, ut ſemper ſub eius ſupremo dominio maneant, nihil enim poteſt Deus à ſuo abdicare dominio, undè etiam ipſa gloria, & quicquid iuris homo habet ad illam magis eſt ſub Dei, quam ſub hominis dominio; Ex hac ergo parte [ inquit Suarez ] ius illud ex parte hominis deficit à rigore iuſtitiæ commutativæ, quæ inter homines intervenit. Ad hoc ipſiſſimum eſt, quod nos hic aſſerimus, quod nempè ex iſtius conditionis defectu inter Deum, & homines nequit vera, & propria intercedere iuſtitia, quæ ius ſuum unicuique tribuit, quia ius, quod creatura habet ad gloriam non tam eſt ſuum, quàm Dei, & debitum quod habet Deus ad reddendam ei mercedem, non inſurgit ex natura dati, & accepti, neque à creatura, ut à vero creditore, ei impoſitum eſt, ſed illud ſibimet impoſuit ex ſua liberalitate, & benignitate; hac, inquam, ratione dicimus virtutem illam ſpecialem, ex qua Deus noſtra remunerat merita à ratione iuſtitiæ verè, & propriè dictæ deficere, quia talis conditio ei convenit ex formali, ac eſſentiali ipſius iuſtitiæ commutativæ conceptu, ut ipſa vox ſonat, & non tantùm prout inter homines reperitur, ut ait Suarez.

188 Quia tamen hæc iuſtitia fundatur in promiſſione Dei, non quidem omninò ſimplici, & abſoluta, ſed conditionata, & reſpiciente merita, quibus retributionem, vel beneficium aliquod promittit, ſi fiant; nec rurſus ſub conditione oneroſa operis inæqualis, & imperfecti, quo pacto promittit pęnitentibus veniam, ſed perfecti, & condigni ad præmium beatitudinis, ideò addimus ad retributionem teneri non ſolo debito fidelitatis, aut gratitudinis, ſed arctiori, & ſtrictiori debito, quod petit talis oneroſa conditio, quod aptiori vocabulo appellari nequit, quam iuſtitiæ, itaut ſi ſtante tali promiſſione ex parte Dei, & exhibitione operis oneroſi ex parte hominis, Deus talem, & tanta mercedem non redderet, non tantùm infidelis dici poſſet ſed etiam aliquo modo iniuſtus; ut expreſsè dixit Scotus 1. *diſt.* 17. *qu.* 2. §. *ſed tunc*, verſic. *Contra*, dùm inquit, dignè Deum retribuere ſecundum iuſtitiam commutativam, vel potius retributivam, quod conſultò addidit ad vitandam de nomine quæſtionem, ita quod Deus homini, qui ſic operatus eſt iniuſtè ſubtraheret beatitudinem; addit tamen ibidem hoc ſimpliciter, & abſolutè dici non poſſe, quia talis ordo iuſtitię noſtrorum operum ad beatitudinem non eſt ex ſolis intrinſecis agenti, hoc eſt, non provenit ſimpliciter ex natura dati, & accepti, ſed ex ſola voluntate divina gratuita ordinante, undè concludit rationem meriti noſtri completè ſumi debere ex ordinatione voluntatis divinæ illius actus ad præmium. Quarè cùm inquit, Deum abſolutè loquendo poſſe citrà iniuſtitiam ſubtrahere beatitudinem ei, qui ſic operatus eſt; hoc ideò dixit, quia cùm talis ordo iuſtitiæ fundetur præſertim in eius acceptatione, & pacto, poteſt pactum illud revocare de potentia abſoluta, & in ſenſu diviſo, & conſequenter auferre ius à creatura, quod adverſus ipſum Deum habebat, non autem intelligi debet ſuppoſita divina promiſſione, & pacto, quo quidem modo explicuimus ſupra *n.* 166. Bernardum, dùm inquit ſerm. 1. de Annunc. *Deum non fore iniurium, ſi debitum negaret merenti*.

189 Hoc idem colligitur ex illo ad Hæbreos 6. *non eſt iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtris* quo dicto expreſsè docemur